


# EPISTULA LEONINA

## CCLVI

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS GRATIS ET SINE ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CCXXXIX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS. ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM

**DUCENTESIMAM QUINQUAGESIMAM SEXTAM (256)**

# ARGUMENTA

<b>PRAEFATIUNCULA.....</b>	<b>03-05</b>
<b>MELIOR EST TUTA PAX QUAM SPERATA VICTORIA.....</b>	<b>06</b>
<b>CHRONOGRAMMATA RÖSSLERIANA.....</b>	<b>07</b>
<b>FINITE BELLUM FRATERNUM ! (<i>Irina Beller</i>).....</b>	<b>08-11</b>
<b>CHRONOGRAMMATA HERBERTIANA.....</b>	<b>12-14</b>
<b>SCAENAE VENANDI RUSSIENSES (<i>Naevius Sartorius</i>).....</b>	<b>16-22</b>
<b>Verba rariora et recentiora.....</b>	<b>23-25</b>
<b>NE UCRAINIS ARMA MITTAMUS (<i>Gottfried Curio</i>).....</b>	<b>26-28</b>
<b>UT GERMANIA SE AVERTAT A NATONIS FRONTE BELLICA (<i>Jürgen Elsässer</i>).....</b>	<b>29-37</b>
<b>IDEAM PANDEMIAE FIXAM TENET MORDICUS (<i>Karl Lauterbach</i>).....</b>	<b>38-41</b>
<b>INVECTIVA IN LAUTERBACHIUM HABITA (<i>Stephan Brandner</i>) .....</b>	<b>42-46</b>
<b>UXOR QUONDAM LAUTERBACHII DE PANDEMIA QUID SENTIAT.....</b>	<b>47-49</b>
<b>ORBIS PICTUS HEXAGLOTTUS: MACHINA LAVATORIA.....</b>	<b>50-52</b>
<b>LINGUA LATINA IN UNIONE EUROPAEA (<i>Logodaedalus</i>).....</b>	<b>53-54</b>
<b>ECHUS VOCES ET EPISTULAE.....</b>	<b>55-59</b>
<b>LIBRI LEONIS LATINI.....</b>	<b>60-63</b>

## PRAEFATIUNCULA

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS  
AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

*Cara Lectrix, Care Lector,*

*certê iam pridem nosti Leonem Latinum amare proverbium illud Romanorum, quod est AUDIATVR ET ALTERA PARS! Itaque nos etiam in Epistulâ nostrâ Leoninâ 256 Bellum Ucrainicum tractantes strictê evitamus describendi atque iudicandi unilateralitatem necnon studemus istud vitium in omnibus ferê mediis diurnariis luxurians compensare eo quod laudamus poetam maximê admirabilem gentis Russorum, qui immerito atque iniustê, summam atque indiscriminatum facti sunt hirci emissarii, ut peccatum luerent praesidis sui.*

*Summo cum gaudio Leo annuntiat se invenisse auctorem et Russiae et Russorum Linguae Litteraturaeque optimê peritum, qui symbolam scripsit de LEONE TOLSTOIO poetâ non solum inter auctores patriae suae eminentissimo, sed coryphaeo poeseos mundanae incomparabiliter ingenioso et splendido. Symbola autem scripta est a NAEVIO SARTORIO, qui ipse venationis amantissimus subtiliter disquirat Tolstoianas venandi descriptiones poeticas necnon meditationes ethicas. Tolle lege symbolam Naevianam: laetaberis.*

*Praeterea afferimus voces eorum qui moneant, ne arma mittantur in Ucrainiam neve supra Ucrainiam zona fiat volandi Russis interdicta. MELIOR EST TUTA PAX QUAM SPERATA VICTORIA. Nam quid iuverit fortissimè pro libertate Ucrainiae pugnavisse, si in fine non solum ipsa Ucraina Russiaque, sed etiam tota nostra Europa pulcherrima, immo totus mundus gentis humanae patrius funditus delebitur horrendâ ecpyrosi atomicâ? Verum enim vero PLATO nos docet IVSTITIAM esse virtutem cardinalem necnon FORTITVDINEM alteram esse virtutem cardinalem valdè laudabilem; sed actiones nostras non verè bonas et decoras fieri, nisi illae duae adiuventur a duabus ceteris quae sunt PRVDENTIA et MODERATIO! Itaque gubernatio nostra multo sapientiozem se praestaret munus mediatrix suscipiens quam armis mittendis oleum flammis infundens.*

*Tertio loco agitur de Germaniae ministro valetudinis, qui nunc, ubi ferè ubique terrarum remedia anti-coronaria, i.e. mascae, distantiae, quarantaena, iniectio siphunculi genetici etc., quorum utilitas numquam verè credibiliter demonstrata est, tandem abolentur, ipse ingentibus copiis pseudo-vaccinorum horrendo pretio emptis ideam pandemiae fixam mordicus tenens cives vexare non desinit hariolans de pandemiae perpetuitate deque vaccinationis inevitabilitate. Ne lectio huius Epistulae fieret nimis arida nimisque ieiuna et tristicula, Leo addidit orationem Brandneri invectivam in*

*Lauterbachium habitam; necnon verba, quae de  
pandemiâ deque professore ministro ideâ pandemiae  
perpetuae obsessio fecit Spelsbergia uxor quondam eiusdem.*

*Restat ut tibi, cara Lectrix, care Lector, commendem  
etiam symbolam LOGODAEDALI iuuenis bonae spei  
Latinitati dediti; neque licet mihi oblivisci  
CHRONOGRAMMATA HERBERTIANA et RÖSSLERIANA  
lectu et aspectu dignissima necnon opus lexicographicum  
desideratissimum, cui nomen imposui q.e. ORBIS PICTUS  
HEXAGLOTTUS (legas, quaeso, vocabula, quae spectant ad  
MACHINAM LAVATORIAM). Haec hactenus, mox, si  
volueris, certê plura. Pancraticê vale et perge mihi favere.  
Medullitus te salutat...*

**Dr. Nicolaus Groß**

**Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**

<http://www.leolatinus.com/>



**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,**

**Die Saturni**

**26. m.Mart. a.2022**



**MELIOR EST  
TUTA PAX  
QUAM SPERATA  
VICTORIA**

**FRANCISCUS DE ANDRADA LEITAO** Regis Portugalliae Sacri Consistorii Consiliarius Senator Aulicus Equestris Ordinis D. N. Jesu Christi Miles Cruciferus, ad Regem Angliae necnon unitos foederati Belgii Ord. Generales Legatus nuper Extraordinarius, nunc ad Generales Pacis Tractatus itidem Plenipotentarius Extraordinarius etc.

# CHRONOGRAMMATA RÖSSLERIANA

PA **X** PERPET**V**A HO**M**IN**I**B**V**S A**M**EN



PERPET**V**A **D**OM**I**NA NOB**I**L**I**S ET FEL**I**C**I**TAS  
 AN**C**ILL**A**  
 N**V**R**V**S **I**N ARENA NE**C**ATAE

MMXXII

Perpetua war eine adelige Dame, und Felicitas war ihre Sklavin.  
 Die beiden jungen Frauen wurden in der Arena getötet.

# **FINITE ISTUD BELLUM FRATERNUM !**

## **Irina Beller quid sentiat de bello Russo-Ucrainiano**



**IRINA BELLER: Finite istud bellum fraternum! Mater mea est Russa, pater meus est Ucrainus. Adolevi in Ucrainiâ occidentali. Equidem bellum repudio, et rogo, ut occidentales desinant instigare.**

Nuntius meus gravissimus est hic: Ego repudio bellum. Diligo Russos. Diligo Ucrainos. Rogo autem, ut occidentales desinant instigare. Gubernationes occidentales dicunt se velle pacem. Simul autem in Ucrainiam arma mittunt, quibus occisiones prolongent. Istâ moralitate duplici animus meus consternatur. Sum Ucraina. Mater mea est Russa et pater meus est Ucrainus radicum russicarum. Ego adolevi prope *Lembergum*, in Ucrainiâ occidentali, haud procul a limite polonico.



Moscuæ in Instituto Gerassimowiano studii cinematographiæ pernoscendæ. Pater meus primo laboravit pro gubernatione russicâ (in rebus legatoriis), postea sedem in urbem *Chioviam*<sup>1</sup> transtulit, ubi factus est consiliarius *Iuliae Timoschenko*. Mihi istud bellum fraternum est tragoedia. Oportet istud quam celerrimê finiatur.

Numquam suspicata eram *Putinum* tantum progressurum esse, ut expeditionem militarem faceret in Ucrainiam. Ut plerique, opinabar Russos occupaturos esse regiones separatistarum orientales, i.e. *Donek* et *Luhansk*, ubi maxima pars incolarum loquitur russicê. Perturbor relationum unilateralitate, etiam hîc in Helvetiâ, necnon socordiâ. In Ucrainiâ bellum habemus ex octo annis, non ex paucis demum diebus. 14.000 vel maximê 15.000 Russorum hîc spatio temporis a militibus Ucrainiis et nacistis Ucrainiis, ultranationalistis, partim more ferino sunt interfecti. Num ista res ab occidentalibus saltim animadversa est? Cum Putinus loqueretur de „*genocidio*“, cancellarius *Scholz* hoc dixit esse „*ridiculum*“. Num homines Russi mortui sunt ridiculi? Ucrainiana cum sim, indignor de isto verbo. Scilicet exstare in Ucrainiâ nacistas. Quos vidi oculis propriis. Istorum historia incohata est altero bello mundano. Illo tempore isti pugnaverunt unâ cum nacistis Germanis contra Russos. Istorum heros vocabatur *Stephanus Bandera*, fascista, collaborator nacistarum necnon scelerum bellicorum perpetrator. Nunc isti iterum vias nominant secundum nomen *Banderae*. Nacistæ Ucrainii oderunt Russos, excitant *russophobiam*, sed gubernatio nullo modo conata est istud impedire. E contrario. Gubernatio post a.2014 interdixit linguam russicam, subito. Quamquam nos sumus terra plurium linguarum – nam plerique loquuntur et russicê et ucrainicê. Subito interdictum est, ne in scholis legerentur Russi poetae, quales sunt *Tolstoi*, *Puschkin*, *Dostojewski*. Praeses *Selenskyj* istos nacistas non potest cohibere. Qui proprios concives sumunt obsides, utuntur iisdem tamquam scuto. Immo gubernatio Chioviensis nunc aperuit carceres. Homicidae aliique scelerati nunc ambulant liberi. Quorum multi ad nos venturi sunt profugi.

---

1+**Chiovia**, -ae f. *Kiew*. cfr Graesse/Benedict, *Orbis Latinus*, 2.ed., Berlin 1909, p.78: „Chiovia, Kiovia, Kijodia, Kijew, St., Rußland.“

Occidentales incredibiliter homines instigant in Russos eosdemque daemonizant. Putinus atque Russi nunc tam vehementer diffamantur, ut videantur esse novi diaboli. At meâ sententiâ Putinus non est monstrum. Qui habet principia sua, qui defendit commoda Russiae. Scilicet eundem non esse virum sanctum. At suntne Americani sancti? Iidem quot bella gesserunt, quot bombas deiecerunt? Putinus non aufugit in receptaculum subterraneum. Qui loquitur cum populo. Audio eius orationes. Qui dicit semper eadem: Se non impetum facturum esse in Europam. Se nolle Ucrainiam expugnare. Se velle Ucrainiam independentem, se nolle propugnaculum NATONis a nacistis antirussicis occupatum. Putinus dicit nullam aliam rem antea sibi tam difficilem fuisse diiudicatu et statutu quam hanc, sed alteram sibi non restitisse facultatem. Qui contendit gubernationem Ucrainianam in animo habuisse d.21.m.Mart. magnum impetum facere in Ucrainiam orientalem. Equidem nescio probare, num haec verba Putini convenient, sed in hōc bello est etiam Russorum conspectus rerum, non solum occidentalium. At unum tantum conspectum licet nosse, prohibitum est, ne noscamus alterum. Sanctiones occidentalium Russis impensae non sunt consentaneae. Occidentales nimis parvi pendunt animam russicam. Si impetus fit in Russos, Russi congregantur quam artissimê. Putinus praescivit sanctiones factum iri. Neque credo eius militibus rem parum successuram esse, sicut scribunt diurnarii nostri. Putinus numquam dixit se Ucrainiam expugnaturum esse tribus diebus. Scilicet Russos posse ruchetis suis omnia destruere et celerius progredi – sicut Americani fecerunt in Iraciâ. Equidem clarê video eosdem iussos esse res militares destruere et evitare violentiam non necessariam. Omnia alia Russis non prodessent. Nam aliquando istâ confrontatione funestâ finitâ necesse erit regredi ad pacem, ad concordiam. Slavi necant Slavos. Istud est horribile. Non sunt permulti nostrum. Non licet nos unum alterum interficere. De istâ re hōc momento temporis maximê sollicitor. Ratione militari Putinus vincet, sed quid postea? Estne Russia dictatura? Hoc exclamant diurnarii occidentales. At in Russiâ sunt *Twitter*, *Facebook*, *Youtube*, nunc demum *Instagramum* obseraverunt. Hoc aliter se habet ac in Chinâ, ubi politici omnia interdiciunt. Equidem ex me quaero, nonne apud nos nunc modo aliquid percrebrescat dicturae simile. Non iam licet aliquid publicê dicere opinioni publicatae adversum. Qui aliter sentit ac id quod publicê proclamatur suamque sententiam publicat,

fit segrex. Quaedam statio televisoria germanica mecum fecit de Ucrainiâ colloquium interrogatorium. At idem colloquium non emiserunt timore vituperationis publicae. Dixerunt se mecum, si sententiam meam apertê dicerem, non posse cooperari. Timeo istum affectum animorum antirussicum. Audivi linguam russicam esse „*linguam homicidarum*“. Ipsâ in Helvetiâ neutrali Russi timent, ne discriminentur. Hoc ut finiatur. Ne se intermisceant occidentales! Alioquin res etiam peior fiet. Istud bellum fraternum oportet Russi atque Ucrainii ipsi componant inter se. Studendum nobis est vehementissimê, ut finiatur ista tragoedia quam celerrimê!

<https://weltwoche.ch/daily/irina-beller-beendet-diesen-bruderkrieg-meine-mutter-ist-russin-mein-vater-ukrainer-ich-bin-im-westen-der-ukraine-aufgewachsen-ich-bin-gegen-den-krieg-und-der-westen-soll-aufhoeren-zu-hetzen-fu/>

***Irina Beller, mulier ucrainiana, quae est radicibus russicis, ex multis iam annis vivit in Helvetiâ.***

**SCRIPSIT  
IRINA BELLER  
LATINE REDDIDIT  
LEO LATINUS**

## CHRONOGRAMMATA HERBERTIANA

Zum 24. März, dem **Fest des heiligen Óscar Arnulf Romero:**



2022\* arChIepIsCopVs OsCar ArnVLfVs roMero XLII annIs ante testIs VeraX prope aLtare eCCLESiae sVae In Vrbe StI SaLVatorIs a sICarIo neCatVs est. – Der Erzbischof Oscar Arnulf Romero ist vor 42 Jahren als Märtyrer, der die Wahrheit verkündete, am Altar seiner Kirche in der Stadt San Salvador von einem Meuchelmörder ermordet worden. – Dom Óscar Arnulf Romero Galdámez, 15.8.1917 – 24.3.1980 – Erzbischof von San Salvador, wurde von Sandinisten während der Messe am 24.03.1980 von Sandinisten ermordet, am 14.10.2018 von Papst Franziskus kanonisiert.

Zum 19. März, dem **Fest des heiligen Joseph:**

2022\* Ioseph pater pVtatIVVs et sponsVs pIae VIrgInaLIIs GenetrICIIs DIVInI FILII IesV ChrIstI erat sapIens fortIs beatVs InCoMpreensIbILItatIs et Verae pIetatIs. oret pro nobIs. - Joseph, der Ziehvater und Gemahl der frommen jungfräulichen Mutter des göttlichen Sohnes Jesus Christus, war der weise und starkmütige Selige des Unbegreiflichen und der wahren Frömmigkeit, er möge für uns beten.

2022\* MeMento nostrI, Ioseph, patrone pIetatIs, In hora eXIItVs nostrI! - Gedenke unser, Joseph, Patron der Frömmigkeit, in der Stunde unseres Todes!

Zum 25. März, dem **Fest der Verkündigung an Maria:**



Mathis Grünewald, Verkündigung an Maria vom Isenheimer Altar

2022\* angeLe, eCCe, ego anCILLA DoMINI, fiat VoLVntas PatrIs et SpIrItVs. – Engel, siehe, ich bin die Magd des Herrn, es geschehe der Wille des Vaters und des Geistes.



Veit Stoß: Engelsgruß (1518)– Nürnberg, Lorenzkirche

2022\* a**V**e, **M**ar**I**a fort**I**s p**I**etat**I**s, ne t**I**Meas, **V**Ir**g**o p**V**ra et sap**I**ens! – Sei begrüßt, Maria, du starke gottesfürchtige, fürchte Dich nicht, reine und weise Jungfrau!

2022\* a**V**e, **M**ar**I**a, ser**V**a p**V**r**I**ss**I**M**a** et sap**I**ens, ora p**I**e pro tot**I**s nob**I**s. - Gegrüßet seist Du, Maria, reinste und weise Magd, bitte gütig für uns alle.



Breviarium Grimani, Brügge, ca. 1515

2022\* **MeMento nostrI IbI In patrIa, GenetrIX IesV!** - Gedenke unser dort  
im Himmel, Mutter Jesu.


**HAEC PIA CHRONOGRAMMATA  
CONFECIT ARTIFICIOSE  
PATER HERBERTUS DOUTEIL  
BRASILIENSIS**

## SCAENAE VENANDI RUSSIENSES

*Scriptis Naevius Sartorius, in Latinum convertit Leo Latinus.*

### Scaenae venandi russienses

*Leo Tolstojus* fabulas romanicas conscripsit insignissimas. Etiam venationem sibi proposuit rem et scribendo et vivendo tractandam. Îdem autem ex fervido venandi amatore factus est eiusdem rei adversarius persuasissimus. In Tolstojii vitâ operibusque apparent conflictûs venationis morales.



Leo Tolstojus opus creavit admirabile. Praeter narrationes numerosas et libros paedagogicos commemorandae sunt eius magnae fabulae romanicae: „*Bellum et pax*“, et praecipuê „*Anna Karenina*“. Quae fabula ab a.1873 usque ad a.1878 exorta argumento suo numquam obsolescit. Quae quater decies ad cinema redacta est, primo

a.1914, ultimo – ad tempus quidem – a.2013. Quae convertitur in linguas ferê omnes. Quae fabula est magnifica pictura societatis morumque, drama subtilissimum, psychogramma mulieris amantis mortemque sibi consciscentis. At „*Anna Karenina*“ est etiam fabula romanica venatoris et – aut saltim etiam – fabula venationis.

Ecce venatio: Quam Tolstojus novit ex diebus suae iuventutis. Quae spectat ad privilegia ordinis nobilis. Leo a.1828 nascitur quartus filius *Comitis Nicolai Eliadis Tolstojii* et *Mariae Nicolaidis*. Vita Leonis est tumultuosa. Qui novem annus natus parentibus orbatur. Studet linguis orientalibus cognoscendis, deinde iurisprudentiae, haud scimus an examen non absolverit. Medio autem saeculo undevicesimo revertitur ad „*Jasnaja Polja*“, sedem gentis suae. Consulit servis suis. Paedagogiam secundum ideas ipsius *Rousseau* reformatam tractans condit scholas vicinas. Ab Ecclesiâ Orthodoxâ cum desciverit, a.1901 excommunicatur. Paucis annis antequam duce *Vladimiro Eliade Uljanow* – qui melius nôtus



est nomine *Lenini* – communistae imperio Russiae potiuntur, Tolstioius moritur mense Novembri anni 1910.

### **Tres venatores tribus scaenis descripti.**

Venationem Tolstioius iterum iterumque tractat litteris suis.

In „Annâ Kareninâ“ tres venatores inducit agentes: *Constantinum Lievinum* et *Stephanum Arcadidem Oblonscium* et *Basiliscum Veslovscium*. Lievinus est alter Tolstioius – persona auctori valdê similis – verecundus, irritabilis, incertus, scepticus et moralista. Stephanus Arcadides Oblonscius, eius levir, est vir voluptuarius, sui conscius, stirps veteris russicae gentis nobilis. Basiliscus Veslovscius, qui videtur esse consobrinus uxoris Lievini, est vir securus, simplex, neoplutus.



Ecce tres viri tribus scaenis introducuntur. Tolstioius semper attentê se dedit personis exhibendis, quas accuratê depingit, magnâ cum fidelitate, et describit condiciones, in quibus easdem inducit agentes, ratione subtili atque perenni. Protagonistis

venatum proficiscentibus prima iam simultas exoritur. Cum Veslovscius adveniat bellâ veste indutus, Oblonscius vir nobilis apparet pannis indutus, sed novo sclopeto instructus, sigaro leviter sublabrato, cani suo imperans linguâ francogallicâ. Haec omnia scripta sunt sermone vivo et modesto, sed accurato:

»Primus qui apparuit fuit Basiliscus Veslovscius, magnis caligis novis indutus, quae pertingebant usque ad eius femora crassa, viridi pelusiâ, cui superpositam gerebat novam peram pyrotheciorum adhuc corium olentem, mitellam taeniatam capiti imposuerat, novissimam anglicam flintam anulorum loralium lorique gestatorii expertem brachio subdiderat. [...]

Denique sonorê ianua denuo aperta est, et evolavit rotabundus et in aëre

*se circumvertens Stephani Arcadidae Craccus canis bracco maculis flaveolis obsitus; deinde secutus est Stephanus Arcadides ipse, flintam manu tenens sigaro sublabrato. ‚C'est bien, c'est bien, Crack!‘ cani comiter acclamavit [...]. Stephanus Arcadides gerebat calceos rusticos singulis laciniis corii inflexi confectos, insuper pannos pedales et bracas detritas et sagulum. Capiti eius impositus erat petasus ruinosus; at eius flinta, novo systemate constructa, aspectum praebuit lepidae rei lusoriae, et pera venatica peraque pyrotheciorum, quamvis paululo iam detritae, tamen generis erant optimi. Basiliscus Veslovscius usque nunc prorsus ignoraverat hoc ipsum esse venatoris veri et genuini: pannis indutum esse detritis, sed instrumenta venandi adhibere optima.»*

### **Psychologia venatoris**

Altera scaena narratur ex personâ Lievini. Eius cogitationes avertuntur ad crepitum flintarum, quibus alii utuntur, ad voces quibus iubent praedam apportare. Animus Lievini incipit irritari, cum cognoscit alios melius iaculari, melius collineare. Omnis qui umquam expertus est dies iaculandi infelices, bene novit hunc sensum:

*»Semper hoc Lievino accidebat: primi ictus flintae ei si male successerant, effervescebat et stomachatus male iaculabatur per totum diem. Ita factum est etiam hōc die. Gallinagines apparuerunt catervatim. Ante canem et ante pedes utriusque venatoris hae aves sursum volitare non desinebant, ut Lievino esset occasio iacturam initialem recompensandi; sed quo saepius iaculabatur, eo maius accipiebat dedecus coram Veslovscio, qui intra et extra telorum iactum laete ultro grandinans nihil quidem telo percussit, tamen animus eius nullo modo est inquietatus. At Lievinus agebat praeproperê, parum accuratê collineabat, etiam etiamque ardescens mox in tantum progressus est, ut iaculans vix iam speraret se feram destinatum esse percussurum. [...] Interim in alterâ parte resonabant ictûs Stephani Arcadidae non quidem valdê frequentes, sed, ut Lievino videbatur, graviores, necnon post omnem ferê ictum vox audiebatur: ‚Crack, Crack, apport!‘ Qua re Lievinus etiam etiamque excitabatur.»*

### **Labores venandi**

Horis post. Venatio progressa est. Iterum Tolstois sequitur personam

Lievini eumque comitans per quamdam uliginem. Haec scaena eo artificiosè composita est, quod patefacit res in venando subtiles, parum conspicuas, laboriosas: aquam in caligâ stagnantem, poppysma russicarum paludum in quibus strident culices. Legenti tibi vidêris audire verba venatoris increpatoria, gustare pulveris pyrii fuliginem, suspicari labores flintae iterum onerandi. Haec omnia animadvertis auctorem ipsum sensisse, ipsum expertum, ipsum passum esse:

*»Radii solis obliqui adhuc satis calebant; vestimenta sudore madida corpori adhaerebant; caliga sinistra aquae influxu completa singultabat ponderosa; facies fumo pulveris pyrii sordida abundabat sudore destillante; sapiebat aliquid amarum, olfacieat odorem pulveris pyrii et humi uliginosae, audiebat infinita gallinaginum poppysmata; flintae fistulae fervidiores erant quam ut eas attingeret; cor viri palpitabat pulsibus citatis ac brevibus; manûs tremebant animo excitato; pedes fatigatos per tubera terrae caespitantes aegrê tantum secum per limum trahebat [...] Terram siccam cum attigisset, consedit in parvo tumulo, caligam exiit, aquam effudit; deinde rediit ad paludem, nonnullos haustûs sumpsit aquae, quae fuit saporis uliginosi, conspersit fistulas flintae suae fervefactas et lavit faciem manûsque. Sic recreatus rediit ad illum locum, ubi modo conspexerat gallinagem consistentem consilio firmê capto, ne iterum efferveret.«*

### **Conversio historiae.**

Licet homines huius fabulae etiam quaedam iniucunda et animo et corpore patiantur: tribus his scaenis Tolstois describit tam amoenum idyllion venaticum, ut paene dicam eum levi animo effugere gravitatem



vivendi tractandam. Nam hōc tempore Russiae imminet tempestas. Imperium insigne est oeconomicâ instabilitate atque simultatibus socialibus. Aër redolere videtur revolutionem. Ad haec omnia leviter alludunt tres venatores vespere in aliquo fenili prostrati inter se colloquentes. Oblonscius refert de quodam mercatore concessionis divite, qui venationes suas instituit luxuriosê. Necnon refert, *»uligines quam magnificos iste Maltus gubernamenti Twer possederit easdemque quam excellenter curet ordinandas et quam lautiosis carpentis venatores eo transvecti sint et prope uliginem quam sumptuosum tentorium ientandi collocatum sit. Tum Lievinus e cubili suo fenario erectus: »Non intellego« inquit, quare te non taedeat talium hominum. Intellego ientaculum cum Lafitteo sumendum esse rem delectabilem; sed nonne taedet te tanti luxûs istorum hominum? [...]«*

Hōc colloquio significatur conversio temporum: quo mos vetus traditus venandi temeratur a venatoribus novi generis, qui venationem non iam considerant priscam illam experientiam, ne dicam de nutrimento pariendo, sed imprimis delectationem convivalem. Tolstoius, qui lectores suos alloquitur ex personâ Lievini, est scepticus – eiusque scepsin libenter comprobemus.

### **Tolstoius se convertere ad moralitatem exaggeratam**

Ipse Tolstoius modum vivendi suum convertit. Nam desperatus quaerit sensum rerum. Incumbit in religionem perscrutandam.



Opere „*Resurrectionis*“ publicato auctor ab Ecclesiâ Orthodoxâ desciscit. Tolstolius desinit tabacum et alcohol sumere. Eius conscientia socialis experrescit. Tolstolius vix patitur in domo nobilium cibos coqui sumptuosê et intricatê et lautissimê, cum foris ruri dominantur paupertas famesque. Bestiarum quoque passiones esse terribiles Tolstolius inscribit iam a.1857 diario suo. Eiurat venationem eandemque condemnat ut improbissimam. Aliquando litteris mandat delectamenta venandi esse crudelia. Hominem debere abstinere ab esu carnum, si velit sibi asciscere mores meliores, „*nam praeter libidines istâ nutritione excitatas eadem ipsa est prorsus improbissima, quia fit facinore sensui moralitatis adverso, id est caede animalis scelestâ et quia a nemine postulatur nisi a ganeonibus gulonibusque*“.


*Tempora mutantur et nos mutamur in illis*: Animi humani mutationes atque conversiones vitâ procedente solent fieri, immo sunt essentielles. Attamen offendit nos stupefactos, quam rigidê, quam vehementer Tolstolius se venatione abrumpat. Licet poetae ignoscamus nimias quasdam argutias modique excessiones. Licet etiam ipsa versio theodisca hâc loco maiorem rigorem redolet quam verba originalia; nam ‚*Tötung*‘ (interfectio) et ‚*Mord*‘ (caedes scelestâ, homicidium) eodem verbo russo solent denominari (*ubiistvo – ybuÿcmbo*). Tamen dubitatio nobis movetur eo quod Tolstolius mensuram suam moralem facit quendam *sensum moralitatis* necnon quod supponit venandi causas efficientes esse voluptates *ganeonum gulonumque*. Ut unum tantum afferamus argumentum contrarium: Homo nutritionis causâ venatur ex aliquot milibus annorum, venatus est diu antequam agrum coepit colere – num îdem nunc - aetate modernâ – quadamtenus in spatio historiae evolutionis brevissimo – subito ab hac consuetudine desistat?

### **Moralitas realitatis**

A.1881 coequalis quidam Tolstolii haud minus illustris scribit: „*Viri docti rectê iudicant homines omnium aetatum putavisse se scire, quid esset bonum et malum, laudabile et vituperabile, sed iidem viri eo quod sentiunt nos haec nunc melius scire quam homines ullius aetatis alterius, obnoxii sunt opinioni praeiudicatae*“. Îdem coequalis est *Fridericus Nietzsche*, qui hanc sententiam notat in opere suo, c.t. *Aurora matutina* („*Morgenroethe*“). Cum Nietzsche rem tractet in scepticâ cogitatione

subtili defixus, Tolstojus venationem videtur repudiare affectu animi superficiali.

Haec repudiatio effecta est *moralitate intentionis* exaggeratâ. Tolstoiana condemnatio venationis venatorisque *hypermoralis* est - sensu verbi optimo – i.q. „ab-soluta“: Nam eadem est absoluta ab hominis historiâ atque condicionalitate. In quodam periodico francogallico Tolstojus appellatur *Pèlerin de l'absolu*, i.e. *Peregrinus rei absolutae*.



Hominem vivere non posse nisi punctis moralitatis fixis. Iisdem enim quodammodo imposita est compages intellectualis atque moralis, quâ homo fertur. Quia iisdem fit norma, quâ homo agit, necesse est referantur ad realitatem. At cuinam realitati infigi possit talis moralitas absoluta, qualem Tolstojus fingit

animo suo? Absolutae certitudines morales sunt impossibiles – et volentia non condicionata in mundo condicionato est nullius spei. Moralitas quam appetimus eo quod fugimus ad absolutum, non apta est ad modum agendi inveniendum, immo eâdem petendâ periculum subimus totalitarismi.

Ea quae valent generaliter et universaliter, valent etiam ad venationem. Ut omnis moralitas consentanea, ita etiam moralitas venatoria oportet referatur ad realitatem. Quae oportet postulet realia, ne praecipiat absoluta. Ea omnia quae nos referimus ad *aequitatem venatoriam*, respondent huic cogitationi: Venatio responsabilis parcit subsidiis sibi quae ipsa imponit restrictiones. Quae nihil ponit absolutum, neque hominem, neque silvam, neque feras. Iustitia venatoria fit aequilibrio atque compensatione. Licet hoc interdum sit perdifficile comprehensu: Hic est codex venationis – et sic eadem legitimatur. Bona venatio est moralitas responsalis, quae adhibetur vivendo.

**»SCAENAE VENANDI RUSSIENSES«  
SCRIPSIT  
NAEVIUS SARTORIUS,  
IN LATINUM CONVERTIT  
LEO LATINUS.**

**VERBA RARIORA ET RECENTIORA**

**aequitās vĕnātōria** *Waidgerechtigkeit*

**ānulus gestātōrius** *Tragring*

**ānulus lōrālis** *Riemenring*

**Arcadīdēs**, -ae m. *Arkadjewitsch*

**braccō**, -ōnis m. *Schweißhund*

GRIMM, Deutsches Wörterbuch--

SCHWEISZHUND, m. jagdhund, der die blutfährte des angeschossenen wildes aufsucht. schweishund, canis gallicus *Stieler* 867; schweisz - hund, canis venaticus, qui ob cruoris odorem vestigia ferae sequitur *Frisch* 2, 246c; schweisz- oder faischhund, ist derjenige, so den schweisz liebet (s. schweisz 2), und hierdurch das angeschossene stück sucht. *Heppe* wohlr. jäger 276b; der eigentliche schweiszhund ist der canis familiaris scoticus *Behlen* lex. der forst- u. jagdk. 5, 586, vgl. *Oken* 7, 1565; einiger orten nennet man sie **bracken**, anderswo bluthunde und wieder anderswo pürschhunde. sie sind von sehr guter suche, stark, arbeitsam und die vornehmsten und nöthigsten hunde nach den leithunden. *Heppe* leithund (1751) 12; einen schweiszhund darf man nicht blut lecken lassen. *Wander* sprichw.-lex. 4, 462 (sonst wird seine suchfähigkeit beeinträchtigt, vgl. *Döbel* jägerpr. 1, 107); nach *Nemnich* bezeichnet man auch den bullenbeiszer, canis molossus, mit schweiszhund.

cfr Liber Niger Scaccarii, necnon Wilhelmi Worcestrii Annales Rerum Anglicarum, ed. Altera, vol.I Londini 1774. p.358: „Ejusmodi canibus sagacibus praefecti, quos braccones appellabant. Adeo ut braccones canes essent quidam venatici. Gloss.vett.Licisca, bracco. Et nos quidem hodie (inquit Spelmannus) *brach* dicimus de cane feminea, quae leporem ex odore persequitur.“

MLW (Mittellateinisches Wörterbuch) 01-4 (b-byzantius), 1552, 33-42: „\***bracco** (braco, bracco), -**onis** vel \***braccus**, -i m. (theod. vet. Bracco, cf. Ahd.Wb. I.p.1313sq.) canis venaticus vel vestigans Jagd-, Spürhund, Bracke (cf. GLOSS.III449,33 St.-S. -us vel liciscus bracco)...lin.38sq. LEX Frision.4,4 canem acceptoricium vel braconem parvum, quem barnbraccum vocant, IV solidis componat...“

**+certitūdō**, -inis f. *Gewissheit*. **absolūtae certitūdines mōrāles**

*absolute moralische Gewissheiten.*

**\*cīnēma**, -atis n. *Film*

**+condiciōnālītās**, -ātis f. *Bedingtheit*

**+condiciōnātus**, -a, -um *bedingt*

**conversiō temporum** *Wende*

**Eliadēs**, -ae m. *Ilijtsch*

**fābula \*rōmānica** *Roman*

**\*flinta**, -ae f. *Flinte*

1.\**focile* (ducitur a Latino ‘focus’, et est etymon verbi italici ‘fucile’ et francogallici (‘fusil’)) parum aptum videtur, est enim nomen cuiusdam ossis, cfr Juhani Norri, Dictionary of Medical Vocabulary in English, 1375-1515, London 2016, p.434). ---

**Scheller**, Deutsch-lateinisches Lexicon..., Leipzig 1789, Deutsch-lateinischer Theil, col.789, s.v. Flinte: “Flinte, ist nicht wohl zu übersetzen, etwa telum glandarium; fistula glandaria, oder fistula ignifera (oder ignivoma); doch kann dieß alles jedes Schießgewehr anzeigen. **Genauer ist wohl flinta; denn eine neue Sache verlangt auch ein neues Wort;** oder telum ignivomum, quod vocatur *Flinte* oder fistula ignivoma, quae vocatur *Flinta*. – Flintenkolbe, etwa manubrium fistulae igniferae (oder Flinta). – Flintenkugel, glans plumbea fistulae igniferae (oder Flinta). – Flintenschuß, ictus fistulae igniferae (oder Flinta, oder bombardae).” –

**Krebs**, Antibarbarus der lateinischen Sprache, tom.I, 7.ed. Basel 1905, p.28, 31, nota 5: “F.(riedrich) A.(ugust) Wolf pflegte in seinen Vorlesungen diese Übersetzung nach seiner Weise zu bespötteln, und weil er der Meinung war, alles Ausländische müsse, wenn es einen den Römern fremden Begriff enthielte, nach der Weise der Römer ohne weiteres nur in eine lateinische Form gegossen werden und zwar mit geringerer Abänderung, wollte er sogar *Burgermeisterus* sagen; ebenso *flinta*, die Flinte, *pistola*, die Pistole, und ähnlich; anders wären sie nicht zu übersetzen...” ---

cfr Vuk Stefanovic **Karadzic** = Wolf Stephansohn = Lupi Stephani Filius: Serbisch-Deutsch-Lateinisches Wörterbuch, Wien = Viennae 1818, col. 128: ДИВЛИЈА, f. Eine Art langer, enger Flinte, **flintae** genus.” ---

**Rječnik hrvatskoga ili srpskoga jezika**, na svijet izdaje. 1966, p.211: "... Flinten- und Pistolenkolben, manubrium **flintae**, (fistulae igniferae)..." ---

**Archivum Rákócianum** II. Rákóczi Ferencz leveltara 1...1882 "...in cubiculo armamentario **Flintae** communes oblongae septem..." ---

**Fontes Seditiois Horianae**, p.400: Stefan Pascu 1982, Editura Academiei Republici Socialiste România: "Quoad ablicentiatos Petru Serban et Filip Viszarin ex Bartsa. Hi incaptivati sunt eo tempore, quando rebelles Valachi in pago Nagy Bartsa expilabant, inventae sunt apud utrosque **flintae**. Item apud alterum eorum gladius 400". ---]

\***gallināgo**, -inis f. *Bekassine*

Conradus Gesnerus, *Historiae animalium* lib.III, qui est de avium natura. Francofurti 1617, p.448: „De **gallinagine** sive rusticula minore. Avis est apud Batavos eadem (qua rusticula maior) forma rostri, capitisque; item corporis: nisi quod longe minor sit, mensarum deliciis maxime nobilis. At haec neque in aviario, neque in caveis vivere dignatur. Neque mihi constat quo nomine hactenus a veteribus sit appellata. Advena est secundum vernum aequinoctium, neque a marginibus lacuum & stagnorum quoquam discedit, quare neque pulveratrix est (ut rusticula maior) Gyb. Longolius, interpretatur autem Germanice *Härsneff*. Alii vocant *Herrschnepf*/ Gallinaginem, alii *Graßschnepf*/ forte quod inter gramina lateat: alii voce diminutiva *Schneppflen*: alii nimis generali vocabulo *Wasserhünle*. Gall. *becasson*. Sabaudi *becasse petite*, id est gallinaginem minorem. Turcae (ut audio) *ielue*...”

**grandinō**, -āre *feuern*

**gubernāmentum**, -ī n. *Gouvernement*

\***hypermōrālis**, -e *hypermoralisch*

\***hypermōrālitās**, -ātis f. *Hypermoral*

\***Lievīnus**, -ī m. *Ljewin*

**mōrālitās intentiōnālis** *Gesinnungsethik*

**mōrālitās respōnsālis** *Verantwortungsethik*

\***neoplūtus**, -a, -um *neureich*. ERASMUS.

\***Nīcolāis**, -idis f. *Nikolajewna*

**pēra** \***pyrothēciōrum** *Patronentasche*

**pēra vēnātica** *Jagdtasche*

**poppysma**, -atis n. *Schmatzen*

**pulvis** \***pyrius** *Schwarzpulver, Schießpulver*

**pūnctum fixum** *Fixpunkt*

\***pyrothēcium**, -ī n. *Patrone*

EL 221, p.5sqq.: „*theod. Patrone; angl. cartridge; fr. cartouche; hisp. cartucho; ital. cartuccia; neogr. Φουίγγιον*. -

**Bauer** (a.1806) et **Güthling** (a.1918) proponunt: **embolus**, -i m. [cfr VITRUV.10,7,3 embolus, -i m. “der Kolben bei Saug- und Druckwerken” (Georges).---- cfr Karl Ludwig Bauer, *Deutsch-lateinisches Lexicon*, 3.ed., Breslau 1806, col.1938: “Patrone, f., zum Schießen, embolus, embolium, malleolus...” — cfr Otto Güthling, *Langenscheidts Großwörterbuch*, Teil II: *Deutsch-Lateinisch*, 1.ed., Berlin 1918, Nova impressio 9.ed., Berlin/München/Zürich 1976: *Patrone*, embolus, -i m.] – **Gaius Licoppe** adnotat haec: «*Patronen: Fr cartouches. Embolus est vocabulum certē antiqum, sed nimis generale; oportet vocabulo specifico uti. Sic inscriptum est in lexico meo privato: (de l’italien cartuccia (carta): Lat. cartucia. Kunststoffhülse: Fr. douille: initio fuit ex charta, nunc ex plastico, sed multo saepius ex metallo. Fr. et Angl. idem vocabulum adhibetur si agitur de armis vel de loculo in quem inseritur lampas electrica. Capsula est nimis generale; vocabulum speciale necessarium est. In lexico meo scriptum est: douille: (du francique dulja) (Angl. cartridge (arme); socket (électr.): dulia.*» — Gaius Licoppe rectē adnotat significationem verbi, q.e. embolus, parum speciale esse. Sed “cartuccia” est verbum Italicum, “dulia” sive originaliter “dulja” est verbum (palaeo)francicum, non Latinum. Ceterum etymon verborum romanorum, quod spectat ad „chartam“, non iam quadrat ad rem denominandam. Itaque propono aliud verbum: *theod. Patrone; angl. cartridge; fr. cartouche; hisp. cartucho; ital. cartuccia; neogr. Φουίγγιον* \***pyrothēcium**, -ī n. - Quod nomen iam confictum est a botanicis, qui appellaverunt quandam speciem muscorum hoc nomine: *Rhodobryum pyrothecium*. Sed hac ambivalentia certe nemo perturbabitur.

\***rōmānicus**, -a, -um → fabula \*romanica

\***sclopētum**, -ī n. *Gewehr*

\***sigarum**, -ī n. *Zigarre*

**singultō**, -āre *schmatzen (de sono paludis russicae, si caliga intratur; de sono caligae, si aquae influxu completa est)*



cfr FORCELLINI, s.v. singulto, p.383: „...II.) Translate usurpatur de aqua, quae per foramen aliquod exiens singultum simulat. Sidon. 2.Ep.2. ante med. Vis undae ferventis per parietem foraminatum flexilis plumbi meatibus implicita singultat, *gorgoglia*...“

**sublabrō**, -āre *in den Mund stecken*

cfr FORCELLINI, s.v. sublabro, p.537: „SUBLABRO,as,are, a.1 (sub *et* labrum) cibum intra labra mitto, ut interpretatur Non.p.170,7.Merc. Novius ibid. Jam ego illi subiens sublabrabo esui illud sinciput.“

**INDICEM VERBORUM  
QUAE SPECTAT  
AD SCAENAS VENANDI RUSSIENSES  
COMPOSUIT  
LEO LATINUS**

# NE UCRAINIS ARMA MITTAMUS

## Gottfried Curio (AfD) quid sentiat de bello Ucrainiensi

<https://www.pi-news.net/2022/03/curio-waffenlieferungen-in-die-ukraine-nicht-im-deutschen-interesse/>



*Domina praesidentissa maximê honorabilis, Dominae Dominique,*

verum! Oportet adiuvere homines reverâ bellum fugientes, scilicet etiam in Germaniâ, si civitates Ucrainiae affines profugis nimium abundant. Volumus consulere opis indigentibus, sed capacitates – quisnam iisdem aufert capacitates? Non solum Africani studentes putativi syngraphi expertes, sed praecipuê aliquot centum milia petitorum asyli ad Germaniam relinquendam obligatorum, qui ex a.2015 sub praetextu causarum falsarum fefellerunt, sed quos ne deportandos curet ista gubernatio, sicut prior, recusat. At nunc egemus locis vacuis pro iis, qui reverâ opis sunt indigentes, Dominae Dominique!

Ita est, Dominae Dominique Unionis – vobis nunc obtenditur speculum: Quia systema obturatur oneribus migrationis illegalis inveteratis – quae nobis intrita sunt a factionibus, quae cupiunt ex illegalibus facere legales. Itaque nunc oportet statim sistere immigrationem affinitatis nimis remotae causâ subsequentem, egemus deportatione offensivâ – Domine Lindner, quandonam veniet ille mandatus a deportando – iste vir specie tantum

annuntiatus? Verum est: Aliquot centum milia ad Germaniam relinquendam obligatorum, migratorum Merkelianorum, hîc in receptaculis auferunt locos mulieribus infantibusque hodie ex Ucrainiâ fugientibus. Istaec est infamia, Dominae Dominique! At ministra rerum internarum vult recipere omnes, qui ex Ucrainiâ adveniunt – etiam non-Ucrainios, qui non sunt opis indigentes et domum possunt iter facere. En illam Ucrainianam mulierem 18 annos natam – quae constuprata est ab Iranio et Nigeriano, qui sibi comparaverant syngraphos ucrainianos – haec mulier nunc redit in Poloniam – quia Germania ei videtur esse nimis insegura! En talem factam esse Germaniam – istaec infamia est, Dominae Dominique! Quonam modo cognoscuntur homines, qui reverâ e patriâ fugerunt? Qui sunt – aliter ac a.2015 – plerumque feminini, secum habent syngraphum, animum praebent gratum, non postulantem, necnon volunt redire in patriam! Itaque eorum infantes egent institutione speciali, qui non sunt integrandi. At cives ad auxilium ferendum parati indignantur de recusatione custodiendi, quâ consulto admittatur abusus malus huius promptitudinis adiuvandi. Tramina hîc Berolini advenientia a vigilibus publicis omnino non inspiciuntur – nulla fit inspectio vel supervisio securitatis causâ – nulla! Praeses syndicatûs astynomiae foederalis dicit 40% advenientium non inspicere. Iterum Germania patet latissimê grassatoribus omnis generis ingratis, sive migratoribus oeconomicis sive tromocratis; in memoriam vobis revoco pugnatores Syriacos, qui nunc ab Ucrainiis arcessuntur. Qui cottidie decem milia lectorum parata tenêre potest, is etiam potest inspicere atque custodire securitatis internae causâ. Nolumus post titulos adulterinos quales fuerunt „Syrus“ et „adiutor localis“ nunc fieri nomen „Africani studentis permutationis“ novum titulum istius modi, quo adhibito quivis accipiat ius in Germaniâ permanendi. Postulamus, ut omnis locus vacuus praebeatur *Ucrainiis* senibus et mulieribus et infantibus, Dominae Dominique!

Miseria profugorum – finitur pugnis finitis. In hac re primo loco Russia est responsalis, ut finiat miseriae humanae causam.

Secundum acta diurna, c.t. *Jerusalem Post*, *Bennett* Israeliae minister primarius *Selenscium* adhortatur, ut accipiat condicionem a Russis oblatam, ut bellum finiatur. At ut *de facto* hoc bellum etiam etiamque diutius et cruentius fiat, efficiunt etiam isti, qui Ucrainiis etiam etiamque

plura arma mittunt. Et qui extra urbes harmata (currûs cataphractus) non potest sistere ideoque bellum clandestinum infert urbibus, is quoque efficit homines profugos. Scilicet oportere, ut is dux, cuius copiae sint inferiores, urbem tradat sine destructionibus et sine victimis civilibus – etsi bellum gessit iustam. (*Illo tempore, quo milites Napoleonis steterunt ante portas Berolini et manifesta erat Borussorum clades*) quis postulavit, ut incolae urbis in domibus suis stantes pugnarent contra milites? Scilicet a Borussis urbs tradita sit sine pugnâ, sine mortuis et destructione.

Sic enim evitantur magnae fugientium multitudines. Optio autem, quâ propositum erat, ut Ucraina fieret membrum NATONis – quae fuit *Putino* causa belli gerendi – unâ tantum sententiâ de tabulâ potuit tolli – ut factum est illo „*Veto!*“ Germanorum atque Francogallorum anno 2008 dicto. Quisnam audet hominibus dicere vitam eorum patriaeque integritatem minoris valere quam optionem Bruxellensem et coniunctionem cum NATOne factam? Praestat semper motiones fugiendi iam in initio evitare. *Selenscius* et *Polonia* volunt etiam occidentales participes fieri belli gerendi. *Domina Esken* vult milites NATONis in Ucrainiâ agentes, *Fridericus Merz* animo fingit NATONem decernere, ut *Putinus* sistatur – talis dilatatio belli est irritatio periculosa, istâ re non egemus, minimê quidem nomine Germaniae! Potius nosmet adiungamus exemplis traditis germanicae artis politicae detensionis atque communicationis, *Dominae Dominique*.

Unum autem clarê teneamus: Ubi primum pugnae erunt transactae, homines adiuvabimus in patriam redeuntes eamque restitutos. Haec quidem non est ideologia globalistarum, qui homines trans globum terrestrem huc illuc movere cupiant, sed hoc fiet secundum commodum atque voluntatem hominum ipsorum. Iidem enim sunt homines patriae suae amantes et servaturi – quorum nos miseret, eos adiuvemus!

**GOTTFRIED CURIO**

**QUID SENTIAT**

**DE BELLO UCRAINIANO**

**IN LATINUM CONVERTIT**

**LEO LATINUS**

# UT GERMANIA SE AVERTAT A NATONIS FRONTE BELLICÂ

Jürgen Elsässer diurnarius et publicista quid sentiat de bello ucrainiensi



**„Ego sum intellector Putini, etiam nunc!“**

<https://tv.compact-online.de/elsaesser-deutschland-muss-aus-der-nato-kriegsfront-ausscheren/>

**In quodam conventu Germanicae Factionis Alternativae (AfD), qui factus est die Iovis praeterito, introduxi fasciculum periodici COMPACT specialem, c.t. „Imago Russiae hostilis: NATO iter facit“ et explicui, quoniam munera futura essent oppositionis politicae pro pace pugnantis.**

Scilicet me mihi non temperavisse, quin ipsam Factionem Alternativam nonnullosque greges alios partis dextrae, qui nihil melius sciant facere quam concinant cum ululatu lupino contra Putinum edito, immo in tantum progrediuntur, ut adiuvent extremistas Ucrainios, qui Germaniam volunt secum in bellum trahere. Contra istos ego sentio ea quae sequuntur:

- 1.) Germani patriotae debent fovere commoda Germaniae, non Ucrainiae. Chioviae regunt incendiarii, qui totum mundum velint in abyssum secum rapere, ut servent regimen suum. Uniones pugnandi fortissimae Ucrainianae, velut *Regimentum Asowianum*, sunt nacistae veri et genuini, qui somnient de potestate propriâ, sed nihil faciant nisi pro NATOne labores exanclent sordidissimos.
- 2.) Germaniae interest cum Russiâ pacem habere. Quandocumque hi duo populi inter se consentiebant, sive sub cancellario *Bismarck* sive sub cancellario *Brandt*, hoc bonum erat utrique populo – necnon pro continente. Si quid discere possumus ex historiâ, discimus hoc: oportet ne Germani et Russi umquam sinant unum in alterum instigari.

3.) Germania ut recedat a NATOnis fronte bellicâ. Ne demus ullum militem pro NATOne, ullum centium pro NATOne, Russiae ne ullas sanctiones imponamus, Russos ne oderimus neve sinamus alios illos odisse. Pro eo tubos aperiemus illius *Nord Stream 2*, ductûs pacis.

4.) Oportet Germania exeat e NATOne. Populus noster non vitâ superabit nisi neutralitate. Si a NATOne liberi erimus, a Mari Baltico usque ad Pontum Euxinum cingulum instruere poterimus rerum publicarum a molibus politicis independentium – et cum Americanis et cum Russis viventes pacificê.

<https://tv.compact-online.de/elsaesser-deutschland-muss-aus-der-nato-kriegsfront-ausscheren/>

Nomen meum est *Jürgen Elsässer*, Germanus sum neque volo permittere, ut pulchra Germania nostra intereat miserabiliter!

Equidem semper fui *intellector*<sup>1</sup> *Putini* et talis sum etiam nunc. Quia – nunc non possum afferre omnes causas – easdem modo editione speciali comprehendimus, quae e prelo allata est recentissima: „*Imago Russiae hostilis – NATO iter facit*“, ubi huius conflictûs historiam priorem dilucidavimus atque enodavimus. Punctum autem saliens nihil est nisi hoc: Si omnes hypocriticê invehuntur in certam terram aut in certum virum politicum, oppositionis est isti actioni adversari. Cum autem – actu censurae infamissimo – stationes televisificae „*Russia today*“ et „*RT Deutsch*“ extinctae sunt, in interreti, ipso in *Telegram* – et cum magna pars diurnariorum oppositionis dextrae in hac quaestione tractandâ – ut cautê dicam – infirmê loquatur sive iam transfugerit – periodicum ‚*Compact*‘ sibi proposuit, ut ultimâ voce liberâ diurnariorum recuset istud *odium erga Russos*, quod sequitur *odium phyleticum*, idemque arceat argumentis prudentiae. Nunc iterum iterumque dicitur: ‚En Putinum in Ucrainiam invasisse‘. Ita, invasit. Tamen aggressio incohata est a NATOne. Ex annis omnia promissa, quae Russiae facta sunt, franguntur. Pactum autem occidentalium etiam etiamque appropinquat limitibus Russiae; ceteraque omnia, quae spectant ad Ucrainiam orientalem, ubi vires concentratae sunt a.2020/21 iam dixit *Gunnar Lindemann*. Quae vires NATOnis nunc Russiam non aggrediuntur propter Putinum – sed aggrediuntur Putinum propter Russiam. Quae volunt habere Russiam! Et hoc est argumentum unum ex editionis nostrae specialis gravissimis: demonstramus enim, qualis ratio politica Britannorum Americanorumque erga Russiam atque Germaniam fuerit ex 250 annis. Nam Britanni

1 *intellēctor*, ōris m. theod. *Versteher*. cfr ThLL 07.1,2089,44-65: *intellēctor*, -ōris m. *ab* intellegere. i.q. *qui (bene) intellegit (pro adi. v.l.63)*. ITALA Dan.12,10 (Iren.1,19,2 *al.*) -es intellegant...etc.

primum, postea etiam Americani – omnino non patiuntur potestatem maiorem eurasiaticam. Neque ullo modo rēfert, utrum in Russiā regat *Imperator* an *Stalinus* an *Gorbatschow* an ipse *Putinus* – Londinenses atque Vassintonienses semper appetunt eandem rem. Et nihil exspectant nisi occasionem, id est causam praetexendam. Germania autem d.27. m.Febr. properē se praeposuit fronti bellicae. Antea autem gubernationi Germaniae restiterat aliquantum mentis sanae. Ipsa etiam *Bärboccula* et *Scholzius* – isti enim antea dixerant: ‚*bene, sed nos non mittemus arma offensiva, nos mittemus tantummodo cassides chalybeias*‘. Hoc dixerant. Haec annuntiatio vera mansit usque ad d.25. m.Febr., diem Veneris. Die Solis facta est sessio Conventūs Foederalis extraordinaria et ibi subito omnia mutata sunt. Tota ratio politica rerum externarum Rei publicae Germaniae foederalis inversa est. Primum omnium mittuntur arma aggressiva, non in aliquas regiones conflictuum, quales sunt Aegyptus aut Iordania – sed arma bellica mittuntur in ipsas regiones, ubi fiunt pugnae. Talia usque nunc numquam facta sunt. NATO autem – etiam nunc primum – emittit manum suam velocem, in frontem orientalem, quadraginta milia militum. Eorum tredecim milia sunt milites Militiae Germaniae Foederalis, et Militia Foederalis toti isti catervae est imperatura. Deinde gubernatio decrevit, ut defungatur gasiductu *Nordstream II*. *Gauckius* dixit: ‚*Vos hic debetis frigēre pro libertate*‘. Ergo temperaturam calefactionis deminuamus. Iaccam induamus. Non ubique tam frigidulum est quam hīc.

At nobis pecunia solvenda erit. Et in istā sessione Conventūs Foederalis a.27. m.Febr. factā – hoc non possum quin dicam - spe deceptus sum. Nam si mutatio fit tam vehemens – Factio Alternativa oportet reclamet: ‚*Istud non patimur!*‘ - (*applausus*) – Talia si fiunt, licet etiam ex pleno exire et dicere: ‚*Non iam audire volo istam instigationem bellicosam!*‘ *Alicia Weidel* et *Tino Chrupalla* sanctiones quidem recusaverunt – saltem hoc fecerunt – sed ceterum tamquam precantes repetebant verba illa trita - ‚*Iste Putinus malus, qui est aggressus*‘ - ‚*Istum non possumus adiuvere*‘, etc., etc. Et ille *Lucassen* – legatus foederalis Factionis Alternativae – cuius disciplinae speciales sunt Militia Foederalis et NATO – îdem deinde dixit: ‚*Exauctio dispensationis oeconomicae Militiae Foederalis ad 100 miliardas in anno – id est duplicatio – haud reprobanda est. Hoc nos Alternativi iam semper postulavimus*‘. Heus vos! *Germanicam* pecuniam

date pro armis *germanicis*! Nolite germanicam pecuniam dare pro bellis *americanicis*! Hôc momento temporis non licet Militiam Foederalem fovere et augere. Nam ibi nihil fabricatur nisi pabulum cannonum Americanastris destinatum<sup>1</sup>! Itaque ego dico: *Ne bellum geratis pro oleo!* –

Quidnam de *Brandnero*? Usque id temporis semper cogitaram Brandnerum aliquatenus stare iuxta *Höckeum*. - At îdem Brandner subito dixit ferê haec: *„Laetabor, si Putinus hôc mense exeunte nullam iam habebit potestatem.“* - Quid hoc ad Brandnerum? Iste oportet curet, ut *Scholzius* non iam habeat potestatem! -

Nunc Alternativi sic argumentantur: *„defendatur superanitas nationalis“*, aut *„Iste Putinus impetum fecit in superanitatem Ucrainiae eandemque fregit – ius gentium – ius gentium“*, etc. Quisnam coepit frangere ius gentium et destruere superanitatem nationalem? Isti Americani in *Cosoviâ* a.1999 istud fecerunt! Ibi per 11 septimanas ex aeroplanis bombas in Serbos deiecerunt et deinde ex Serbiâ regionem exsecuerunt. Quidnam rêfert ad Americanos ea quae fiunt in *balcano*? Scilicet etiam nunc fiat, ut operatione hac russicâ pars ex Ucrainiâ exsecetur. Ut hoc intellegatur, oportet sciatis magnas partes Ucrainiae cogitare et sentire et loqui russicê! Et cum iidem homines ex a.2014 discriminati et suppressi glandibusque sclopetorum afflicti sint, facile intellegitur eosdem dicere se velle istam regionem relinquere et aut ipsos condere propriam rem publicam et fortasse se ad Russiam adiungere. Nonne hoc facile est intellectu?

Nam non sôla est integritas limitum nationalis – sed est etiam ius gentium *autodeterminationis*. Sed non semper limites respondent gentibus. Itaque quaerenda est solutio huius problematis; haec autem non exstat nisi una: In talibus rebus publicis multarum gentium oportet una alteram respiciat et

---

1 **pābulum cannōnum \*Americānastris dēstinātum** orig. *Kanonenfutter für die Yankees*. Scilicet Elsässer hoc nomen increpatorium referat tantummodo ad gubernationem Civitatum Unitarum, non ad totam gentem Americanorum. Verbum, q.e. **\*Americānaster**, -trī m. ausim confingere ad hoc et alterum supernomen Americanorum („*Amis*“) Latinê reddendum, quod in Germanorum sermone remissiore saepe adhibetur aut sensu benevolo et amicali aut sensu potius peiorativo: hoc pendet a contextu. Ad usum suffixi peiorativi q.e. **-aster**, alia exempla iam invêni in litteris neolatinis, qualia sunt: **\*philosophaster** (qualem *Schopenhauer* appellabat *Hegelium* sibi exosum), **\*medicaster** (a medicus), **\*astrologaster**. Ipse confinxi **\*coquaster** („*Küchenbulle*“, qualis appellatur coquus militaris aspero sermone castrensi) in versione illius fabulae bellicae Latinâ, c.t. *Im Westen nichts Neues*, quam scripsit *Erich Maria Remarque*, et **\*fabraster** (a faber, theodiscê „*Stümper*“, i.e. faber parum peritus, scaevus et ineptus, in versione meâ Latinâ FRAGRANTIAE a Patricio Süskind scriptae.



det una alteri autonomiam. Sed si maior pars minori non dat autonomiam – minor pars abibit! Haec tantum condicio valet, altera non exstat.

Imprimis nullo modo mihi placent duces Ucrainiorum. Iste *Selenscius*, eius minister rerum externarum *Kuleba*, necnon iste ambasciator Ucrainus Berolinensis (*Melnyk*) sunt furciferi veri atque genuini<sup>1</sup>, extremistae et incendiarii, qui id sibi firme proposuerunt, ut Germaniam secum in bellum raperent. Qui non desinunt postulare, ut a NATOne supra Ucrainiam instituat<sup>ur</sup> *zona volatûs interdicti*. Zona volatûs interdicti valet hoc: Aëroplanis NATOnis spatium aereum est supervidendum ibique aeroplana russica telis percutienda sunt. Sed inde hoc fiet? Fiet Tertium Bellum Mundanum!

At hoc duces Ucrainii omnino non respiciunt! Si quis paratus est ad commoda sua propria assequenda totum mundum accendere, îdem meâ quidem sententiâ est *extremista* et licet per me istum appelles *fascistam* – in hac re non sum nimis argutus! Tales homines oportet ut eiciantur; non digni sunt ullo favore.

At nunc nos – *Alternativi* et *Compactiani* – scilicet sit aliquatenus iniucundê nos habeamus audientes Putinum, qualis sit, dicere Russos invadere Ucrainiam, ut hanc terram *denacificent*. Hîc enim in Germaniâ nimis saepe iam audivimus quoslibet homines appellari *nacistas*, nullâ causâ nisi quia se opponunt gubernationi. Nostris auribus – meis quoque auribus – notio *denacificationis* haud bene sonat.

**Sed ad huius notionis sensum intelligendum duae res sunt respiciendae.** Primo Putinus hac notione utitur, ut excitet spiritum pugnandi gentis russicae. Subest ratio psychologica. Scilicet victoriam de Germaniâ nacisticâ partam Russis fuisse eventum rerum externarum saeculo vicesimo omnium maximum. Itaque Putinus notione *denacificandi* afferendâ sensum Russorum excitat victoriosum. Haec commemoratio *antifascismi* Putiniana est omnino alia ac blateratio istorum qui foris stant (*qui se vocant antifascistas, sed reverâ ipsi sunt grassatores, immo fascistae russati, adn. interpretis*). Qui sentiunt omnem hominem nationis

---

<sup>1</sup> furciferi vērī atque genuinī i.q. orig. „ausgemachte Drecksäcke“.

suae amantem esse *nacistam*. At Russi – etiam Russi sovietici – Germaniae historiâ fascismi numquam usi sunt tamquam clavâ morali, ut Germaniam mulgerent. Russi enim numquam a Germaniâ postulaverunt damnorum restitutionem\*. Omnino aliter ac aliae civitates, quae infinitê pecuniam a nobis postulant. Russi semper dicebant: *„Ita est, istaec facta sunt illo tempore, sed nunc nos communiter in futurum prospiciamus“*. Itaque non timeo notionem denacificandi Putinianam russicamque.

**Secundo loco** dicendum est: Nos probi conservativi iniustê diffamamur nomine nacistarum increpatorio. At e contrario in Ucrainiâ sunt *veri* nacistae! Imprimis *Regimentum Asowianum*. Cuius pugnatores sequuntur ideas nacistarum traditas. Qui primo fuerunt milites privati, interim sunt facti pars cohortis nationalis. Nostri autem diurnarii nunc dicunt: *„Num tales viri sunt nacistae? En Praesidem Selenscium ipsum esse Iudaeum! Necnon ipsum perdidisse tres cognatos holocausto interfectos!“* Ita est. Sed est quaedam res mira. Nam Selenscius ipse et quidam alii similis generis, quamquam ipsi non sunt nacistae, cum nacistis bene concordantur. Selenscius plurimum pecuniae accepit a *Kolomojskij*. Qui ceterum etiam est Iudaeus. Sed nolo loqui contra Iudaeos. Nam politicus Iudaeus hîc tempore omnium praestantissimus, **Bennett** ille praeses Israeliae ministerialis, in toto conflictu personam gerit valdê, valdê bonam. Nam îdem Putinum non condemnavit, nullas sanctiones imposuit, et se ipsum praebuit mediatorem. Ergo non loquor contra Iudaeos. At mirum est illum Kolomojskijum – unum ex Ucrainiae **5 oligarchontibus** viris omnium divitissimis – id habet negotiationum mediorum et magnum canalem televisificum. Quo in canali televisifico Selenscius illustris divesque factus est histrio comicus. Kolomojskijus autem oligarchon annis 2017/18 saepe convênit Selenscium. Diurnarii *Ephemeridis Austrogermanicae* (*Süd-deutsche Zeitung*) invenerunt oligarchontem Selenscium quater decies convenisse *Kolomojskijum*, quamvis îdem iam in Israeliâ viveret. Îdem oligarchon quamvis etiam originis iudaeicae pecuniâ alit nacistas pugnatores Asowianos. Hoc certê difficile est intellectu. Filium aut nepotem hominum interfectorum collaborare cum illorum homicidis. Sed –

---

\**verbatim*: „Die haben ja nie Entschädigungsforderungen gestellt“. Mirum auditu! Nescio, quonam sensu Elsässer hoc dicat. cfr [https://de.wikipedia.org/wiki/Deutsche\\_Reparationen\\_nach\\_dem\\_Zweiten\\_Weltkrieg](https://de.wikipedia.org/wiki/Deutsche_Reparationen_nach_dem_Zweiten_Weltkrieg) <https://www.mdr.de/geschichte/reparation-ddr-100.html>

sciat hoc diabolus – opinor agi de negotiis commercialibus faciendis – quia oligarchon istis militibus eget. Ut Ucraina maneat talis, qualis est. Nam solâ hac sub condicione lucrari potest tantum pecuniae quantum cupit. Quacumque ratione Selenscius adiuvatur et pecuniam accipit ab isto homine, qui simul pugnatores nacistas aluit pecuniâ.

Ergo oportet animo fingatur viros Ucrainiae potentissimos esse duorum gregum. Unus grex constat e viris voluptuariis, qualis est iste Selenscius, qui potius dediti sunt consuetudini vivendi occidentali luxurioso – alter grex complectitur nacistas genuinos. Isti nacistae durissimi non funguntur muneribus gubernationis. At iidem verê parati sunt ad pugnandum. Qui sunt pugnatores obduratissimi atque cruentissimi. Nec illi effeminati qualis est Selenscius potestatem possent retinere nisi adiuventur ab istis pugnatoribus saevis sordidisque. Haec autem condicio ab occidentalibus omnino non intellegitur.

Apud Germanos autem dextrae partis politicae sunt quidam homines, qui gaudeant de Regimento Asowiano. Qui dicunt: *‚Eosdem oportet nos nunc adiuvere. Fortasse debemus ibi nos etiam cum illis pugnare.‘* Itaque nonnulli viri mente capti eo peregrinantur sclopetum comprehensuri. – At isti quam stupidi sunt? Unus ex ducibus illorum pugnatorum *dextriradicalibus* dixit: *‚Nos nunc (locutus est de Asowianis) sumus potestas in continenti europaeâ ruchetis antiharmaticis optimê instructa; si nos cras impetum faciemus in Hungariam, illi nullo modo se contra nos defendere poterunt.‘* Ergo isti nacistae somnia somniant insana, sed sunt quidam Germani dextrae partis, qui talibus somniis excitantur. Itaque equidem clarê dico: *Istud non prodest Germaniae! Iste non est patriotismus germanicus! Germani patriotae est studere commodis Germaniae, non Ucrainiae. Nos nolumus mori pro Chioviâ.*

E contrario Germaniae commodum est Germanos cum Russis concordari. Nos etiam temporibus Belli Frigidi frigidissimis ex regionibus remotissimis semper accepimus energiam satis vilem securamque. Haec ratio quae intercessit inter Russiam et Germaniam, numquam ullo modo turbata est, numquam vacillavit, etiamsi ceterum inter orientales et occidentales simultates et intentiones erant sat multae, Russi nobis semper

energiam attulerunt officia sua sedulê atque fideliter explentes. Hoc profuit Germaniae. Quaecumque Germania atque Russia inter se concordabantur – sive regente cancellario *Bismarck* sive *Villelmo Brandt* – non solum uterque populus bene se habebat, sed tota continens. Itaque oportet nos servemus hanc coniunctionem et gaudeo, quod hodie *Gerhardus Schröder* cancellarius quondam foederalis iter fecit Moscuam, ut ea servaret, quae a *Scholzio* et *Bärbockiâ* intra paucos dies sunt destructa.

Nolo quidem *quandam applicationem animi mei ad Putinum* facere normam omnilibet alius hominis. Sed si quis dicit ‚*Neque debemus obnoxii esse Russiae neque Americae*‘ aut ‚*Nos Germani oportet habeamus sententiam propriam*‘, oportet idem etiam dicat: ‚*Ut Germania se avertat a fronte NATOnis bellicâ!*‘ Neutralitatis enim non est natibus sedere et dicere: ‚*Nos desideramus pacem*‘, sed neutralitatis est studere atque curare, ut Germania extrahatur ex confrontatione NATOnianâ, quam nobis intriverunt Vassintoniani atque Londiniani. Ergo motio pacifica in Germaniâ necessario est ***motio anti-natoniana***. Nisi desinemus Russiae sanctiones imponere, nisi desinemus milites mittere ad frontem orientalem, et si *gasiductum Nordstream-2* restituemus, nos poterimus exemplum dare libertatis a molibus politicis, quo postea fortasse etiam civitates minores (quales sunt Polonia, Hungaria, omnes civitates Balticae) attrahuntur, quibuscum unâ poterimus efficere *zonam Europae neutralem* magnis superpotestatibus interpositam. Tamen eo quod nunc dico non iam oportere, ut nosmet ipsos associemus NATOni et Civitatibus Unitis, non dico nobis sublabendum esse sub gunnam Putini – oportet quidem inter nos Russosque bonas rationes intercedere – at imprimis consulere debemus neutralitati propriae. Hoc autem non poterimus nisi NATOnem evitabimus nostraque adiumenta a frontibus bellicis retrahemus. Ne unum centium quidem pecuniae demus pro istis inceptis impetûs faciendi scelestis!

Ergo propono atque commendo, ut condamus ***motionem paci fovendae***. Sed non talem, qualis nunc apud nos est. Eius participes, quorum sunt aliquot centum milia, circumcurrere solent dicentes ‚*pacem, pacem*‘, ferentes macrocolla, quibus inscripta sunt verba ‚*Putinus est alter Hitler*‘, sed simul postulant arma Ucrainis mittenda. At ista non est motio paci

verê fovendae, sed potius est indicium stultitiae. Nos egemus motione anti-natonianâ, qualem prius habuimus, annis octogenariis ineuntibus in re publicâ Germaniae foederali. Recordemini, quaeso: Illa motio paci fovendae constitit duabus ex partibus: Una pars complexa est *intellectores Moscuae* – qui fuerunt membra *Factionis Communistarum Germaniae* et *Iuvenum Socialistarum* similesque – et altera pars constitit ex criticis Moscuae, anticommunistis nolentibus Germaniam fieri campum proelii *superpotestatum*. Talis coniunctio hominum originis diversae motu paci fovendae concordantium quia illo tempore cum bono successu facta est, fortasse hodie potest feliciter renovari. Sic fortasse fieri poterit consensus quidam talium hominum, qualis ego sum intellectus Putini, et aliorum, quales sunt *Alicia Weidel* et *Tino Chrupalla*, qui Putini sunt vituperatores, inter se consentiunt eo quod postulant, ut Germania fiat neutralis. Ea quibus nos studemus atque consulimus, sunt commoda Germaniae, non Americae neque Britanniae neque Ucrainiae.

Gratias vobis ago.

**ALLOCUTIONEM  
QUAM  
DE BELLO UCRAINICO  
HABUIT  
JÜRGEN ELSÄSSER  
DIURNARIUS ET EDITOR  
HORREI NUNTIORUM »COMPACT«  
IN LATINUM CONVERTIT  
LEO LATINUS**

## MINISTER VALETUDINIS (SPD) IDEAM PANDEMIAE FIXAM TENET MORDICUS



<https://www.youtube.com/watch?v=ZAgCi9Ltjes>

*Domina Praesidentissa,*

*Collegae meae meique maximê honorabiles,*

nunc habuimus disputationem longam et – quantum ego video – bonam. Fuerunt nonnulla contributa minoris qualitatis, fuerunt etiam perbona – nunc autem ubi stamus? Oportet id ponamus ante oculos: Non multa sunt mutata. Coram nobis sunt 5 scaenaria, quae autumno poterunt nobis imminere: Ea quae *Christianus Drosten* descripsit in tractatu suo, etiam pro membris Conventûs Foederalis. Fortasse fieri posse, ut autumno accipiamus iterum undam *omicron*. Fortasse fieri posse, ut accipiamus undam *delta* – quia hîc tempore portio vaccinationis in Africâ tantummodo sit 14% ibique permultum percrebrescat metallagmatis<sup>1</sup> *delta*. Fieri posse, ut accipiamus *metallagma remotius*. Fieri posse, ut accipiamus

---

1 \***metallagma**, -atis n. i.q. *Mutante, Variante*.

metallagma *delta combinatum* et - quod perquam periculosum erit neque improbable - fieri posse, ut omicron pergat evolvi et profundius invadat in pulmonem. Perpauca tantum sunt metallagmata, quibus istud hōc tempore impediatur – quae omni tempore possunt amitti.

**PRAESIDENTISSA:** *Collega Lauterbach, permittisne quaestionem aut adnotationem legati Brandneri?*

**LAUTERBACH:** *Non permitto, nequaquam!*

Probabilitas, quâ autumno videbimus unum ex his metallagmatibus, est ferê centum partium pro centum (100%). Probabilitas, quâ nobis autumno nullae erunt difficultates pandemiam coronae impugnandi, est ferê nullius partis pro centum (0%). Hoc fiet ferê tantâ cum probabilitate quantâ nullum habebimus autumnum. Ergo oportet nos praeparare. Ergo quid nobis autumno imminebit? Autumno denuo debemus quaerere: Nonne systema nostrum valetudinis nimium onerabitur? Quid facere possumus, ut praeveniamus isti *superonerationi*? Quae nobis erunt claudenda, quid faciamus de tabernis? Quid denuo nobis licet imponere parvulis nostris? Adsuntne *vires curatrices*, quibus egemus? Nam nobis non licebit istis multis hominibus non-vaccinatis, qui egebunt curatione medicâ, dicere: *,Vos potuistis vaccinari! Quidnam non estis vaccinati? Vos non curabimus!'* Nos enim cum simus societas ad cultum civilem humanumque obligata, istos homines, qui partim, maximâ ex parte ipsi culpam contraxerunt, debemus curare. Hōc modo tota terra nostra denuo obses erit custodiâ inclusa ab isto grege hominum, qui contra evidentiam investigatorum ubique terrarum investigantium, curantium, vaccinantium, nihil volunt nisi voluntatem suam pertinacissimam ad effectum adducere necnon superbiunt, quod tota terra exspectat, utrum ipsi sinant se vaccinari necne.

Hoc quidem – quantum ego video – nobis non iam sustinere poterimus. Oportet respiciamus infantulos, oportet respicere vires curatrices, oportet respicere eos homines, qui pugnant de victu comparando. Nunc necesse est, ut iidem regulas observent, qui per totum tempus hoc non fecerunt. Scilicet quaeri possit: Vaccinatio utrum adhuc effectum habent necne? At hoc iam scimus! Scimus omnia metallagmata, quae modo enumeravi,

omnia haec metallagmata quoad plus 90% sunt inter se eiusdem genomatis. Itaque omnia vaccina habent effectum. *Vaccina illa wuhaniensia*, quae iam habent aetatem duorum annorum, adhuc impediunt, ne fiant aegrotatio gravis et mors. Scilicet iisdem vaccinis non semper inhiberi infectionem. At problema infectionis non est problema principale, nisi graviter aegrotamus aut morimur. Hîc agitur de evitandis gravi morbo et morte. Hac de causâ habemus vaccina. Quibus necesse est utamur. Venio autem ad ea quae proposuit Factio Christiano-Democratica. Dominus *Frings* perquam clarê dixit obligationem vaccinandi venire nimis sêro. Hoc quadrat ad undam *omicron*. At eo quod tu ipse proponis, efficeretur, ut obligatio vaccinandi etiam nimis sêro veniret pro omni undâ futurâ. Ipse iam monuisti ne nimis temporis perderemus – sic non progrediemur! Venio autem ad finem -

**PRAESIDENTISSA:** *Collega Lauterbach, quaestio fiat ultima. Permittisne quaestionem aut adnotationem collegae Vogler?*

**LAUTERBACH:** *Hoc faciam.*

**VOGLER:** *Hem, bene, quaestio a praesidentissâ permissa, bene distributa. Multas gratias tibi ago, Domine collega Lauterbach. Nos patet communiter ambulare ‚vaccinationem ab anno aetatis duodevicesimo‘ commendantes. At paululo perturbata sum eo quod tu culpam quandam attribuis singulis hominibus. Nonne debemus paululo modestius quaerere, quid politici his duobus annis praeteritis falsi fecerint vel neglexerint vel haud sufficienter perfecerint, ut homines confidentes crederent id, quod nos sibi commendaremus et ut facerent adhortaremur, ut, quaesumus, omnes ter sinerent se vaccinari – ut hoc reverâ facerent. Mihi quidem displicet culpam attribuere singulis. Equidem credo agi etiam de processibus socialibus, et nos debere post pandemiam aut post omnia ea, quae nunc tractamus statuenda, quam maturrimê disputare, quonam modo rem nostram valetudinariam faciamus solidariorem et iustiore, ut homines fidem habeant maiorem.*

Ita est, multas gratias tibi ago, *Domina Vogler*, rectê dicis, non consentaneum est, ut culpam attribuamus. Sed rectum est attribuere responsalitem. Homines autem non-vaccinati hîc tempore responsales sunt pro eo, quod retardamur. Oportet autem permitti, ut hoc dicatur, et hoc



etiam non... Ceterum censeo nos debere in futurum prospicere. Scilicet etiam menda facta esse. At ubinam nunc stamus? Nunc primum omnium – annus 2022 est primus annus, quo reverê pandemiam in Germaniâ – doleo hoc nondum fieri posse ubique terrarum – sed pandemiam in Germaniâ primum omnium possumus finire – si quidem facta erit vaccinatio, si facta erit obligatio vaccinandi. Utinam hanc occasionem capiamus, quam nunc habemus. Si nobis contigerit, ut assequamur portionem vaccinatoriam, quae in hominibus 60 annos aetatis superantibus est insigniter maior quam 90%, et in reliquis hominibus tanta est, ut undae non iam possint diffundi, autumno nobis non erit causa timendi quarantaenam ceterasque vivendi cohibitiones. Deinde rem bene perferemus. Deinde non denuo recidemus in perpetuas pandemiae repetitiones. Hanc occasionem hodie habemus et omnes factiones democraticas adhortor: ,Rogo ut legatis vestris permittatis rem statuere secundum conscientiam propriam. Scio multos in omnibus factionibus sic sentire. Habemus nunc eam occasionem, itaque hîc loco statuemus et decernemus rem gravissimam. Nisi hanc occasionem unicam et singularem nunc communiter ceperimus, autumno iterum stabimus eodem loco quo stamus nunc.

**ORATIONEM CAROLI LAUTERBACH  
MINISTRI GERMANIAE VALETUDINIS  
IN LATINUM CONVERTIT  
LEO LATINUS**

# ORATIO INVECTIVA IN LAUTERBACHIUM HABITA



<https://www.pi-news.net/2022/03/stephan-brandner-lauterbach-ist-einer-der-groessten-impflamisten-im-lande/>

## LAUTERBACHIUM ESSE UNUM EX GERMANIAE MAXIMIS »IMPFLAMISTIS«, NOS LÊGE NON ESSE PROTEGENDOS CONTRA INFECTIONEM, SED CONTRA »INIECTIONEM«

Post disputationem partim ferventem Conventus Foederalis die Veneris decrevit lêgis protectionis infectionalis praedispositionem, quae facta est a fractionibus coalitionis. Ut expectatum erat, petitio ipsius Alternativorum, quae spectavit ad praedispositionem lêgis a coalitione semaphoricâ factam. Alternativi praecipuê petiverant, ut remedia ad homines non-vaccinatos spectantia tollerentur. Quadamtenus mucro disputationis fuit oratio *Stephani Brandneri* legati Alternativorum, qui solito sermone mordaci, sed etiam delectabili invectus est in *Carolus Lauterbach* ministrum valetudinis. Hanc orationem necnon clamores eidem interiectis et brevem interventionem Lauterbachii litteris mandavimus. Intende, cara Lectrix, care Lector: laetaberis.

**Stephanus Brandner (AfD):** Bonum mâne! Domina Praesidentissa! Dominae Dominique! Denuo tractanda nobis est *Lex protectionis infectionalis*; quod est thema difficile tractatu, si quidem effugere volumus censores *Youtubianos* ceterosque. Tamen conabor hoc facere. Paucis

tantum horis ante *Dominus Lauterbach* unus ex huius terrae ***impflamistis***<sup>1</sup> maximis, ex hōc loco parieti impinxit scaenarium verê horrificum; hoc factum est in disputatione vaccinatoriâ die hesterno factâ.

Equidem hanc disputationem audivi, Domine Lauterbach. Per spatium ferê unius minutae more poetae *Dante* descripsisti dimidiam decuriam scaenariorum terroris, quae praedixisti nobis omnibus esse ingruitura. At ego tibi praedico: Ne unum quidem istorum scaenariorum terroris reverâ fiet, Domine Lauterbach. Nam tu ex hōc loco mentiebaris, iam semper, et perges mentiri.

*(Applaudunt Alternativi)*

Cogito de praedictione tuâ autumno a.2021 factâ.

*(Dr. Rolf Mützenich (SPD): Non licet ista verba non vituperare! Non licet verbum mentiendi praetermittere non vituperatum!)*

Lacrimis dissimulatis praedixisti: Usque ad m.Martium a.2022 in Germaniâ omnes homines vaccinatam iri aut reconvalituros esse aut morituros. En me, Domine Lauterbach, exemplum vivum ante te stantem: ego neque sum vaccinatus neque reconvalui neque mortuus sum. Fortasse hoc eo explicari potest, quod mensis Martius nondum est finitus. Nam tu, quantum spectat ad mensem Martium, non exactê diem praedixisti. At fortasse etiam eo explicari potest, quod tu narrasti rem stultissimam. Equidem conicio quadrare postremum...

*(Applaudunt Alternativi. Sepp Müller (CDU/CSU): Loquitur irreverenter! – Dr. Rolf Mützenich (SPD): Istud omnino non licet!)*

... et exspecto, Domine Lauterbach, te saltim veniam petiturum esse ab illis multis milionibus hominum, quibus istâ praedictione iniecisti terrorem timoremque panicum. Non sunt mortui miliones hominum, qui non sunt vaccinati. Ista autem res haud melior fit eo quod *Dominus Spahn*<sup>2</sup> – quem modo vidi aliquo loco – te adiuvit in hac re, ceterum îdem Dominus Spahn, quem patet nunc non iam tractare politicam rem valetudinis; qui nunc tractat oeconomiam atque energiam. Verisimile est his rebus accipis contractûs lobiarios lucrosiores, Domine Spahn.

*(Alternativi applaudunt.)*

Quâ mutatione certê haud magnum damnum fit ministerii valetudinis.

1 **\*impflamista**, -ae m. theod. *Impflamist*. De hac confictione verbi iocosâ nonnulla invenies p.41 n.1.

2 *Jens Spahn*, prior minister valetudinis, Caroli Lauterbachii antecessor.

Consideranti mihi istum *implamismum*<sup>1</sup>, Domine Lauterbach, hoc persuasum est: nos egebimus potius lēge protectionis *iniectionalis* quam *infectionalis*, si tu perrexeris fungi munere ministri foederalis. Itaque studemus praeparare *legem protectionis iniectionalis*.

Colloquimur hodie de praeceptis ordinis negotiorum exceptionalibus. Dicitur status parlamenti extraordinarius esse continuandus, quamquam pandemia maximam partem est transacta. Paragraphus 126a (centesima vicesima sexta a) ordinis negotiorum dicitur proroganda esse usque ad mensem Iulium. Quod attinet ad labores in commissionibus exanclandis, rem vestram instruxistis commodulê. Interim vobis licet agere domi in stibadio interretialiter connexis negotia vestra et tamen vobis postea offertur testimonium praesentiae.

*(Dr. Lukas Köhler (FDP): Melius quam nihil!)*

Nos dicimus: Istud tollatur! Dies libertatis, non solum in Germaniâ, etiam in Germanico Conventu Foederali! Nos in Conventu Germaniae Foederali haud minus quam in totâ re publicâ, non iam egemus ullis praeceptis extraordinariis. Redeamus ad normalitatem: Hoc autem non fiet nisi a *Factione Libertatis*, id est non fiet nisi ab *Alternativâ Germaniae*.

*(Alternativi applaudunt)*

Itaque nos reprobamus prorogationem praecepti extraordinarii paragraphi 126a ordinis negotiorum.

Et, Domine Lauterbach, exspecto nunc excusationem tuam. - Qui abiit, quia est animo nimis molli, aut aufugit.

*(Dr. Rolf Mützenich (SPD): Qui hîc sedet!)*

Equidem exspecto te veniam petiturum esse, hoc etiam ex illo loco facere potes, –

*(Dr. Rolf Mützenich (SPD): Tu veniam pete pro verbo mentiendi! Ista disputatio est intolerabilis!)*

---

1 \*theod. *Implamismus*: confictio verbi iocosa atque irrisoria (theod. *impfen* i.q. vaccinare + *Islamismus*, i.q. islamus orthodoxus, quo efficitur \**islamomachia*, i.e. *Dschihad*, arabicê *جِهَاد* *jihād* . Quâ fictione verborum *Brandner* irridet *Lauterbachii* studium vaccinandi fanaticum sive zeloticum sive ideologicum necnon - lucrosum, quod îdem nebulo loquax lobiarius industriae pharmaceuticae praetexit fuco pseudo-scientifico. At de rebus coronariis (similiter ac de climaticis) a diurnariis gubernationi obnoxiiis non rogantur veri medici et scientistae incorrupti et independentes, quales sunt *Dr.Wolfgang Wodarg* et *Prof.Sucharit Bhakdi* et *Prof.John Ioannidis* multique alii tantummodo in mediis alternativis apparentes, sed in radiotelevisificis stationibus publico-iuridicis semper rogantur iidem medicastri et virologastri aliique viri obscuro, qui cantilenam cantant gubernationis, quae ipsa nihil est nisi theatrum neurospasticum globalistarum.

**VICEPRAESIDENTISSA PETRA PAU:**

Domine Brandner!

**Stephanus Brandner (AfD):**

– et deinde contentus ero.

Gratias ago.

*(Alternativi applaudunt. - Dr. Rolf Mützenich (SPD): Nos velimus facere declarationem personalem!)*

**VICEPRAESIDENTISSA PETRA PAU:**

Ad hanc faciendam gestor negotiorum annuntiat declarationem personalem.

*(Dr. Rolf Mützenich (SPD): Fortasse poteris perquirere usum verbi mentiendi!)*

Rogo, ut proximâ occasione datâ recto tempore signum detur aptum. Nunc valet praeceptum, quo in allocutione personali permittatur etiam interventio brevis.

*(Dr. Rolf Mützenich (SPD): Haec est usitatissima! Non necessarium est hanc perquirere! Ista quidem res est incredibilis!)*

In hâc casu nunc licet loqui Domino Lauterbach.

**Dr. Karl Lauterbach (SPD):**

Multas gratias ago, Domina Praesidentissa. – Velim dicere pro nobis omnibus, pro partibus democraticis hâc (congregatis): Nos hâc nolumus diffamari esse mendaces!

*(Dr. Alice Weidel (AfD): Tales estis!)*

Nos nolumus istud. Nos nolumus diffamari esse mendaces.

*(Applaudunt Socialistae, Christiano-democratae, Prasini, Liberales, Sinistri.)*

Omni tempore licet litigare de re ipsâ – habemus dissensiones -; at – quantum attinet ad factiones democraticas – hâc non loquuntur mendaces.

*(Applaudunt Socialistae, Christiano-democratae, Prasini, Liberales, Sinistri – ab Alternativis acclamatur: Tu dicis non verum!)*

**VICEPRAESIDENTISSA PETRA PAU:**

Domine Brandner, licet tibi respondere.

*(A Socialistis acclamatur: Quidnam de excusatione?)*

**Stephanus Brandner (AfD):**

Domine Lauterbach, vir mendax, quantum video, est aliquis, qui minimum *semel* dicit aliquid *non verum*, quamquam novit *verum*. Domine Lauterbach, tu nobis ex *duobus annis* iterum iterumque *narras res non veras*, quamquam verisimile est te *nosse veras*.

*(Alternativi applaudunt.)*

Ergo laetare, quod te tantummodo dixi esse mendacem, nec aliis quoque verbis usus sum.

Multas gratias ago.

*(Dr. Rolf Mützenich (SPD): Istud quidem est incredibile! Quidnam fit in isto parlamento?)*

**VICEPRAESIDENTISSA PETRA PAU:**

Nunc hoc in protocollo aptê notavimus. ...

**ORATIONEM BRANDNERI  
INVECTIVAM  
IN LAUTERBACHIUM HABITAM  
LATINE REDDIDIT  
LEO LATINUS**

# UXOR QUONDAM LAUTERBACHII

## DE PANDEMIA QUID SENTIAT DEQUE MARITO SUO PRIORE



<https://www.bz-berlin.de/deutschland/karl-lauterbachs-ex-frau-stichelt-gegen-seine-corona-politik>

*Carolus Lauterbach* (57) factionis socialistarum vir valetudinis peritus est unus ex notissimis, qui monent ut praescribantur normae coronariae severiores. Nunc ei ventus obviam flat perquam specialis – quem excitat *Angela Spelsberg* (60) Lauterbachii quondam uxor.

*Scripserunt Philip Fabian et Alexander Wenzel, Latinê reddidit Leo Latinus*

Ea quoque videtur esse perita vîri coronarii: Nam *Spelsbergia*, directrix *Centri Tumorum Aquigranensis*, in universitate studuit epidemiologiae pernoscendae – tamen eadem nequaquam est *zelotria coronae dogmatica*<sup>1</sup>. Ex pandemiâ ineunte Lauterbachius est hospes *spectaculorum televisorii colloquialium*. Qui iterum iterumque monet, ne nimis parvi aestimetur istius vîri nocivitas. Plerumque îdem vir acriter vituperat normarum laxationes, postulat inspectiones severiores obligationis mascae gerendae et poenas duriores a peccatoribus coronariis luendas.

**Omnino aliter iudicat uxor quondam eius: Eadem nuper in emissione stationis Austriacae, quae appellatur „Servus.tv“, clarê dixit, quid sibi**

<sup>1</sup> \*zelotria coronae dogmatica i.q. originaliter *Corona-Hardliner*.

**videretur de mariti quondam sui inceptis politicis – manifestum est eadem uxori priori vehementer displicere.**

► **Spelsberg:** „Equidem cum sim scientistria et epidemiologa, semper maximê aestimo res verê factas.“

Pergit autem loqui: „Mihi non videtur rectum esse infectione virali tam miti exeunte contendere vîrus esse maximê homicidiale maximêque periculosum. Hoc contenditur tantummodo secundum hypotheses inde fictas, quod dictum erat: ‚Istud est vîrus novum!‘.

In emissione moderator sciscitatus erat, quomodo fieri posset, ut Spelsbergia tam vehementer dissentiret a Lauterbachio – quamquam ambo unâ studuissent in universitate Harvardianâ.

Cum îdem quaesturus esset („si duo homines ambo in Universitate excellentissimâ student eidem rei pernoscendae...“), Spelsbergia moderatoris sermonem interrumpens subridens dixit: „Non, ille non studuit eidem rei. Qui studuit *politicae disciplinae valetudinis et dispensationi*<sup>1</sup>, at ego studui *epidemiologiae*.“

► **Tum illa explicuit, cur ipsa sentiret Lauterbachium dogmaticum coronarium errare: »Quia necesse est scias artem ipsam scientificam. Necesse est analysentur data et numeri idque per sat multum temporis.«**

At Lauterbachium haec non facere, nam oportere virum politicum loqui de rebus permultis. Si îdem semper semperque sederet in spectaculis colloquialibus, eidem non restare satis multum temporis. *Spelsbergia* iterum verbis extult: »*Necesse est considerare numerosque rectê analysare*«.

### **Alia sententia scientifica**

A diurnariis ephemeridis „BILD“ rogatus *Spelsbergia* negavit se invehi in Lauterbachium: »*Alteram sententiam scientificam defendens non invehor illum. Qui oeconomiae valetudinis studuit pernoscendae, quae est disciplina prorsus alia.*«

---

<sup>1</sup> *politica disciplina valetudinis et dispēnsātiō* i.q. *Health Policy und Management*



► Ipse *Carolus Lauterbachius*, cum de verbis ab Angelâ Spelsbergiâ in statione „*servus-tv*“ dictis a BILD rogatus esset, respondit: »Uxor quondam mea putat vîrus coronae esse multo minus periculosum quam ego. Plura de hac re non dicam. Inter nos ex 16 annis neque ullus fuit contactus privatus neque professionalis«.

Lauterbachius est director *Instituti Oeconomiae Valetudinis Clinicaeque Epidemiologiae* (IGKE) Coloniensis. Eius munus directoris hîc tempore quiescit propter eius munus legati Conventûs Foederalis. Die Saturni friggittivit (*twitter*) *Curriculum suum Vitae*, unde apparet se Harvardianum etiam *epidemiologiae* studuisse pernoscendae.


Carolus Lauterbachium ab uxore quondam suâ vehementer discordari iam pridem nôtum est: Ante divortium eorum factum est bellum rosarum exacerbatum: quo in belli etiam actum erat de victu pro quattuor liberis communibus. Lauterbachius praeter eos aliam habet subolem cum alterâ muliere consorti genitam.

Cum a.2013 inter disceptationes coalitionis magnae (*GroKo*) ageretur de munere ministri valetudinis *Lauterbachio* attribuendo, *Spelsbergia* publicê in eum invecta est in periodico c.t. „*Bunte*“: „Spero istum non factum iri ministrum. Puto melius esse *Dominum Lauterbachium* non accepturum esse hoc munus. Nam si idem acceperit, par non erit tantae responsabilitati.“

**UXOR LAUTERBACHII  
DE PANDEMIA  
QUID SENTIAT  
LATINE REDDIDIT  
LEO LATINUS**

# ORBIS PICTUS HEXAGLOTTUS

## MACHINA LAVATORIA EX QUIBUS PARTIBUS CONSTET



<b>Funktionsweise einer Toplader-Waschmaschine</b>	top-loading washer mechanism	mécanisme d'un lave-linge à chargement vertical	mecanismo de una lavadora de carga superior	meccanismo di una lavatrice con carica dall'alto	<b>mēchanismus māchinae lavātōriae onerātiōnis verticālis</b>
Programmwähler	control knob	programmeur	programador	programmatore	<b>*programmātrum, -ī n.</b>
Temperaturwähler	temperature selector	sélecteur de température	selector de temperatura	termostato	<b>*sēlēctrum temperātūrārum</b>
Wasserstandsregler	water-level selector	sélecteur de niveau d'eau	selector de nivel de agua	selettore del livello dell'acqua	<b>*rēgulāmentum altitūdinis aquae</b>
Bedienleiste	control panel	tableau de commande	panel del control	quadro di comando	<b>tabula moderātōria</b>
Blende	backguard	dosseret	alzado	alzata	<b>tegimen, -inis n.</b>
Deckel	lid	couvercle	tapa	coperchio	<b>operculum, -ī n.</b>
Beweger	agitator	agitateur	agitador de aspas	centrifuga	<b>*agitābulum, -ī n.</b>
Gehäuse	cabinet	carrosserie	armazón	struttura esterna	<b>capsa, -ae f.</b>
Laugenbottich	tub	cuve	cuba	vasca	<b>cupa, -ae f.</b>

Schwingungs- dämpfer	suspension arm	bras de suspension	brazo de suspensión	braccio di sospensione	<b>bracchium suspēnsiōnis</b>
Ablaufschlauch	drain hose	tuyau d'évacuation	manguera de desagüe	tubo di drenaggio	<b>uter defluvii</b>
Entleerungs- schlauch	emptying hose	tuyau de vidange	manguera de vaciado	tubo di scarico	<b>uter ēvacuandī</b>
Pumpe	pump	pompe	bomba	pompa	<b>antlia, -ae f.</b>
Nivellierfuß	levelling foot	pie de nivellement	pie ajustable	piedino regolabile	<b>pēs extēnsivus</b>
Keilriemen	drive belt	courroie d'entraînement	correa del tambor	cinghia di tramissione	<b>lōrum cuneātum</b> [Ei. VOX LAT.82,330]
Drehmoment- wandler	torque converter	convertisseur de couple	convertidor de tensión	convertitore di coppia	<b>*converticulum cōpulātivum</b>
Motor	motor	moteur	motor	motore	<b>*mōtrum, -ī n.</b>
Feder	spring	ressort de suspension	resorte	molla	<b>elatēr, -ēris m.</b>
Getriebe	transmission	transmission	transmisión	trasmissione	<b>*mēchanismus trānsmissiōnis</b> [SL 51,13]
Flusensieb	lint filtre	filtre à charpie	filtro de pelusa	filtro per lanugine	<b>cōlum floccōrum</b>
Trommel	drum	panier de lavage	tambor	cestello	<b>tympanum, -ī n.</b>
Bottichrand	tub rim	rebord de cuve	borde de la cuba	orlo della vasca	<b>margo cupae</b>

## SYMBOLA TELAS TRACTANDI

<b>Wasch- und Pfleagesymbole</b>	fabric care symbols	symboles d'entretien des tissus	símbolos del cuidado de los tejidos	simboli delle istruzioni sui tessuti	<b>symbola tēlās tractandī</b>
<b>Waschen</b>	washing	lavage	lavado	lavaggio	<b>lavātiō, -ōnis f.</b>
<b>nicht waschen</b>	do not wash	ne pas laver	no lavar	non lavare	<b>Nē lavātō</b>
<b>Handwäsche, handwarme</b>	handwash in lukewarm water	laver à la main a l'eau tiède	lavar a mano con agua tibia	lavare a la mano in acqua tiepida	<b>Manū lavātō in aquā tepidā</b>
<b>Maschinenwäsche, Schonwaschgang, 40 Grad</b>	machine wash in lukewarm water at a gentle setting/ reduced agitation	laver à la machine à l'eau tiède avec agitation réduite	lavar a máquina con agua tibia en el ciclo para ropa delicada	lavare in lavatrice in acqua tiepida e velocità ridotta	<b>Māchinā lavātō in aquā tepidā et velōcitatē minōre</b>
<b>Maschinenwäsche, Schonwaschgang, 60 Grad</b>	machine wash in warm water at a gentle setting/ reduced agitation	laver à la machine à l'eau chaude avec agitation réduite	lavar a máquina con agua caliente en el ciclo para ropa delicada	lavare in lavatrice in acqua calda e velocità ridotta	<b>Māchinā lavātō in aquā calidā et vēlōcitatē minōre</b>
<b>Maschinenwäsche, Normalwaschgang, 60 Grad</b>	machine wash in warm water at a normal setting	laver à la machine à l'eau chaude avec agitation normale	lavar a máquina con agua caliente en el ciclo normal	lavare in lavatrice in acqua calda e velocità normale	<b>Māchinā lavātō in aquā calidā et vēlōcitatē normālī</b>
<b>Maschinenwäsche, Normalwaschgang, 95 Grad</b>	machine wash in hot water at a normal setting	laver à la machine à l'eau très chaude avec agitation normale	lavar en lavadora con agua muy caliente en el ciclo normal	lavare in lavatrice in acqua molto calda e velocità normale	<b>Māchinā lavato in aquā calidā et vēlōcitatē nōrmālī</b>
Chlorbleiche nicht möglich	do not use chlorine bleach	ne pas utiliser de chlorure décolorant	no blanquear con cloro	non candeggiare	<b>Nē dēcolōratō chlōrō</b>
Chlorbleiche möglich	use chlorine bleach as directed	utiliser un chlorure décolorant suivant	blanquear con cloro, siguiendo las indicaciones	usare il candeggiante secondo le	<b>Chlōrō dēcolōratō secundum praecepta</b>

		les indications		istruzioni	
Trocknen	drying	séchage	secado	asciugatura	<b>siccātiō, -ōnis f.</b>
<b>zum Trocknen hängen</b>	hang to dry	suspendre pour sécher	colgar al aire libre después de escurrir	appendere per asciugare	<b>Ad siccandum suspenditō</b>
<b>zum Trocknen legen</b>	dry flat	sécher à plat	secar extendido sobre una toalla después de escurrir	dispendere per asciugare	<b>Ad siccandum dēpōnitō</b>
<b>nicht in die Trockenmaschine geben</b>	do not tumble dry	ne pas sécher par culbutage	no secar en sacadora mecánica	non centrifugare	<b>Nē *centrifugātō</b>
<b>bei mittlerer Temperatur in den Wäschetrockner geben</b>	tumble dry at medium temperature	sécher par culbutage à moyenne température	secar en secadora a temperatura media	centrifugare a temperatura media	<b>*Centrifugatō cum temperātūrā mediā</b>
<b>bei niedriger Temperatur in den Wäschetrockner geben</b>	tumble dry at low temperature	sécher par culbutage à basse température	secar en secadora a temperatura baja	centrifugare a bassa temperatura	<b>*Centrifugatō cum temperātūrā parvā</b>
<b>tropfnass hängen</b>	drip dry	suspendre pour sécher sans essorer	secar sin escurrir	appendere senza strizzare	<b>Suspenditō rem inexpressam.</b> [cfr CELS. Spongiam exprimere. cfr <b>in-expressus</b> , a, um (in u. exprimo), Schol. Lucan. 3, 415. Heges. 5, 45, 13]
<b>Bügeln</b>	ironing	repassage	planchado	stiratura	<b>lēvigātīō, -ōnis f.</b>
<b>nicht bügeln</b>	do not iron	ne pas repasser	no planchar	non stirare	<b>Nē lēvigātō.</b>
<b>bei niedriger Temperatur bügeln</b>	iron at low setting	repasser à basse température	usar plancha tibia	stirare a bassa temperatura	<b>Lēvigātō temperātūrā parvā.</b>
<b>bei mittlerer Temperatur bügeln</b>	iron at medium setting	repasser à moyenne température	usar plancha caliente	stirare a media temperatura	<b>Lēvigātō temperātūrā mediā.</b>
<b>bei hoher Temperatur bügeln</b>	iron at high setting	repasser à basse température	usar plancha muy caliente	stirare ad alta temperatura	<b>Lēvigātō temperātūrā māgnā.</b>
<b>amerikanische Symbole</b>	American symbols	symboles américains	símbolos americanos	simboli americani	<b>symbola *americāna</b>
<b>europäische Symbole</b>	European symbols	symboles européens	símbolos europeos	simboli europei	<b>symbola eurōpaea</b>

**VOCABULA  
AD MACHINAM LAVATORIAM  
SPECTANTIA  
COLLEGIT  
LEO LATINUS**

# Lingua Latina in Unione Europaea

## §1 Status linguae Latinae



[Logodaedalus](#)

Nov 28, 2021

Cum Unio Europaea<sup>1</sup> ex XXVII civitatibus constet, non solum unam linguam communem non esse, sed etiam suas proprias linguas in aequo positas patet, aliter cives europaei jus intellegere et magistratus appellare nequirent. Itaque cultus linguarum favet et singulis civitatibus et ipsae Unioni, cuius enim adagium [“in diversitate concordia”](#) est.

Sic stantibus rebus linguae Unionis ex articulo LV comma I [Foederis de Unione Europaea](#) sunt XXIV:

*... Anglica, Batavica, Bohemica, Bulgarica, Croatica, Dacoromanica, Danica, Estonica, Finnica, Francogallica, Germanica, Graeca, Hibernica, Hispanica, Hungarica, Italica, Lettonica, Lithuanica, Lusitana, Melitensis, Polonica, Slovaca, Slovena et Svecica linguae...*

Post exitum Britanniae lingua Anglica adhuc de jure lingua Hiberniae et Melitae est, tamen nonnulli, de quibus scribam in altera epistula, linguam latinam usurpandam esse nunc asseverant.

Quid status linguae Latinae? Quamquam de jure non est inter linguas Unionis neque habet auctoritatem constitutione datam in civitatibus Unionis (art. LV comma II FUE), tamen ea neglecta non est. Nobis succurrunt articulus XXII [Chartae Iurum Fundamentalium Unionis Europaeae](#)

*Unio colit varietatem cultuum civilium, religionum et linguarum.*

et articulus III §III comma IV [Foederis de Unione Europaea](#)

*Unio colit copiosam varietatem cultuum civilium et linguarum, et tuetur Europae cultus civilis hereditatis curam et progressum.*

Cum lingua Latina a philosophis, physicis, mathematicis, jurisconsultis, medicis, historicis, poetis, theologis adhibita sit, quis neget eam partem praepollentem Europae hereditatis esse, quis neget cultuum civilium et

linguarum obligationem esse Romae eiusque linguae? Ergo Unio eam colere debet.

Secundum Joannem Paulum Agricolam<sup>2</sup> verbum *colere* duobus modis interpretari potest: modo formali aut modo substantiali, nam Unio linguam Latinam colere potest ne pereat aut ut floreat.

Haec est mea conclusio: lingua Latina non est lingua propria alicuius civitatis, sed cum patrimonium commune Europae sit, Unioni colenda est. Potestne fieri lingua Unionis? De hoc loquar in proxima epistula.

Haec habebam quae scriberem.

Gratias tibi ago pro legendo Logodaedali Aurifodinam! Subscribe gratis ut novas epistulas accipias et opus meum sustineas.

## SCRIPSIT LOGODAEDALUS

<sup>1</sup>

Roberto Adam - Antonio Tizzano, Manuale di diritto dell'Unione Europea, 3° ed., Giappichelli, Torino, 2020

<sup>2</sup>

[Johann Paul Bauer, De iuribus fundamentalibus Europaeis](#), “Vera significatio verbi usurpati non patet. Textus anglicus habet *respects*, francogallicus *respecte*, theodiscus *achtet*. Duobus modis interpretari potest: modo quasi passivo, id est Unioni incumbit officium curandi ne varietas pereat, dissolvatur unius tenoris formis cultus civilis americani; aut modo activo, Unionis est favere varietati, eam colere quasi sit bonum aliquid, pars patrimonii culturalis nostri”.

## ECHUS VOCES ET EPISTULAE

**GUGLIELMUS MONETTI**

**Guglielmus Nicolao s. p.**

Gaudeo, Leo Latine, sic mihi abs te scribi, ut rescribere ego iubeam. Nam Latine scribere, si quando datur, dulcissimum mihi, loqui vel dulcius, si unquam daretur. Scito me ideo non respondisse, quod nihil mihi videbar habere quod omnino responderem: nam et his diebus parum vaco, et librum tuum Latinitate donatum, *Fragrantiam*, nondum ad calcem perlegi. Sed ea, quae huc usque legi, mihi probata (qui nullus sane iudex exsto), mihique perplacita. Praesertim quod apprime genus scribendi illius auctoris reddideris Latine: exemplar ego Italicum habeo ad manus, et sane, quantum per huiusmodi versiones licet, Latinum Italicum, vel Italicum Latino videtur apprime respondere. Sic, puto, etiam Latinum Germanico. De epistula Leonina, quam misti, novissima, perplacet ratio a te adhibita dum de infami nefando hoc bello scribis (infame nefandum dico bellum, non quod a Russis seu Rossis sive Rutenis geratur, sed quod bellum est, vel etiam pro ratione iniqua qua scioli nostri de eo iudicant, atrum et album certa ratione dispertientes). Non esse enim bellum nostrum, vel uno hoc esse nostrum, quod in finibus europaeis pugnatur (quin pars Rossiae non minima in Europa est!), quidquid effutient quotidie forenses rabulae et tetrica illa idola theatrica. Etiam gaudeo videre, quo es aequo animo, ad neutrius partem te inclinare, quum autem tantopere strepant clamitent perstrepant ubique omnes (saltem apud nostrates: utinam trans Alpes non adeo pessime) quibus ad televisorium sive radiophonum aditus patet, furiis agitatorum instar, dum popellum modo pavore mulcent, et deprimunt angore, modo excitant halucinantes confestim ad pugnam pugnandam pro tuenda democratia vel populari regimine (omnium optimum sane regimen, imaculatissimumque, quove uno istis optimum optumum licet dominari per aethera et per telephonula, populoque insultare). Sed, ut ad mansuetiora argumenta redeam, perplacet illud etiam, quod Epistulis Leoninis coeperis inserere epistulas variorum qui ad te scripserunt, et nova commercia epistularia hoc modo excites. Sed dum vicissim gaudio et indignatione trahor, nimis equidem scribo.

Vale tu quidem basilice!

**Nicolaus Guglielmo sal.pl.**

Gratias plurimas, care sodalis, pro litteriis tam prolixè tamque benevole scriptis, ut statim inseram textui proximae Epistulae Leoninae. Rectissime scribis hoc tempore plerosque diurnarios referre stupida cum unilateralitate; istud mihi videtur eorum peccatum principale. Facile est inventu, quare tam male nuntient: non sunt liberi, sed gubernationi obnoxii. Ita fit, ut ex annis laventur miserorum civium cerebra. At dum spiramus speramus. Sunt etiam nonnulli diurnarii alternativi, qui sanius atque sincerius facta nuntient. Utinam erroribus finitis fiat nova mentium illuminatio: fiat

veritas filia temporis. Tu autem, Guglielme carissime, tu ne cede malis sed contra audentior ito. Pancratice vale et perge mihi favere et scribe mihi quidquid tibi in buccam venerit. Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.

### **RADULFUS ARGENTINUS BONAERIENSIS**

D.18. m.Mart. a.2022 h.17:20 scrieb Raúl Lavalle:

Carissime Leo Latine, denuo gratias tibi ago, ob tuum vivum sermonem Latinum. Una quaestiuncula: nonne melius est NATO modo indeclinabili? Ex. gr.: NATO directores nuntium vulgaverunt. Minutia Latina! Vale, Radulfus

### **Leo Radulfo s.**

Care Radulfe, lingua Latina cum sit flexiva, oportet nomina - si quidem saepius adhibentur - declinentur in casus. Quidni? Cur tibi displicet NATOnem declinare? Vale semper, [Leo Latinus](#)

### **Radulfus Leoni s.**

D.19. m.Mart. a.2022 h.00:52 scripsit Raúl Lavalle:

Doctissime Leo Latine, optime, ut tibi mos, respondes. Non dicam "mihi displicet", sed magis mihi placet, in abbreviationibus, non declinare. Gaudeo ergo de his disputatiunculis: mea sententia *vivum* sermonem Latinum esse monstrant. Plurimas ob tuam doctam responsionem gratias tibi ago. Tuus Radulfus

### **Leo Latinus Radulfo s.**

Care Radulfe, in Latino sermone indeclinabilia sunt molesta, quia iisdem non indicatur relatio syntactica. Sed si vis substantivum abbreviatum adhibere indeclinabilem, fieri potest, ut addas formas pronominis "ipse". Ut exemplum afferam: *Notum est Franciscum Crick atque Iacobum Watson structuram ipsius DNA investigavisse*. Haec hactenus, mox, si volueris, plura. Medullitus te salutat Leo Latinus

### **Radulfus Leoni s.**

Carissime Leo Latine, gratias ob doctrinam tuam. Vale, Radulfus

**GREX LATINUS TORUNIANUS** <[grex@man.torun.pl](mailto:grex@man.torun.pl)>

### **MARCUS SBARDELLA**

D.16. m.Mart. a.2022 h.18:28

### **Marcus gregalibus spd**

Fortasse grex etiam gravibus et atrocibus silet eventibus qui his diebus in Ucraina fiunt, ante oculos orbis terrarum incredulos. Deum pro pace oremus. Valet.



**CHRISTINA WIDMANN**

D.17. m.Mart. a.2022 h.12:18 Uhr

Christina Marco ceterisque sodalibus SPD

Recte scripsisti, Marce: Difficile est de bello Ucrainiano aliquid dicere dictu dignum. De causa, cursu, conditione belli paene omnia nescimus. Eventus incertus. Nugae autem cetera videntur, cum bellum geritur. Vale atque valete

D.18. m.Mart. a.2022, h.20:38 scripsit Gisela Hielscher

**Gisela legentibus, scribentibus et umbris gregis sal. pl. d.**

Verum est, inter arma silent musae necnon scurrae. De hieme, de pandemia, de moderatoribus facetiae per interrete mitti solebantur, nunc silentium est. Oremus et futura ignoscentes tamen iterum malos ponamus, ut Martinus quidam Luther proposuit. Qui serenitatem exercere solitus est nunc minus patitur. Curate ut bene valeatis!

**THOMAS IHNKEN**

d.18. m.Mart. a.2022 h.22:03

**Thomas Giselaegregique spd**

Merito scurrae debent silere inter calamitates, meā saltem opinione. Nam aliud est "servare aequam mentem in rebus arduis" secundum Horatium, et spem non omittere, aliud iocos facere inter lugentes. De spe bona semper servanda monet celebre dictum illud quod tu, Gisela, citas: "Si pro certo scirem mundum cras esse interiturum, nihilo minus hodie mālum meam ponerem." Dixisse fertur hoc Martinus Luther, sed falso ei hoc dictum attribuitur: [https://de.wikipedia.org/wiki/Luthers\\_Apfelb%C3%A4umchen](https://de.wikipedia.org/wiki/Luthers_Apfelb%C3%A4umchen) (Theodisce) Ut sitis bono animo, quoad id potest fieri, etiam in rebus adversis, vobis exopto. Valete

**GISELA HIELSCHER**

D.19. m.Mart. a.2022, h.19:26

**Gisela sodalibus spd ...**

et Thomae gratias agit pro emendatione. Fatuitas calamitate imminente certe offendit. Quidam autem iocis asperis se ipsos sociosque consolare et dolorem terroremque mitigare valent. Valete!

**THOMAS IHNKEN**

d.20. m.Mart. a.2022 h.12:25

**Thomas Giselaegregique spd**

Admiror homines qui valent iocari de suis ipsorum calamitatibus. Sed sunt rarissimi. Plerique homines deridere malunt damna quae accidunt aliis propter inferioritatem et debilitatem. Hoc genus ridendi, quod non est fatuitas, sed malitia, ego maxime abominor. Generatim mihi placent homines qui sunt ad risum proniores quam ad

iram. Nam multo perniciosior est ira implacabilis quam indecens risus. Valet ergo quoad fieri potest hilariter

d.20. m.Mart. a.2022, h.14:05

**Leo Latinus Gregi Toruniano sal.pl.**

Laudo verba vestra sapientiae plena. Tamen desidero exempla. Nam dicitur in proverbio: Verba docent, exempla trahunt. Quisnam male aut bene iocatus est de qua re? De quibusnam scurris loquimini? Considerationes vestrae mihi videntur parum practicae, nimium theoreticae. Afferatis, quaeso, exempla. Gratias in antecessum vobis agit Leo Latinus

---

**THOMAS IHNKEN**

d.21. m.Mart. a.2022 h.14.25

**Thomas Leoni sal.**

Amabo te, Leo Latine, si quaestiones istas tuas toti Gregi Latine Loquentium (GLL) velis proponere per diribitorium Torunense, quod licet perficere omnibus partibus GLL mittendo epistulas ad "grex@man.torun.pl" Ita licebit omnibus Gregariis legere et tuas quaestiones et omnia responsa. In antecessum tibi respondeo me non allusionem fecisse speciatim ad quempiam hominem vel quospiam homines. Immo generatim volo admonere omnes sodales ut rideant de ridendis et doleant de dolendis sicut iubet Apostolus Romanos (12,15) "gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus". Cogitabam ego de rebus quae nunc in Ucraina geruntur, quae nullum risum mihi movent. Si vis cognoscere quid de hac re sentiant ceteri sodales GLL, suadeo tibi ut mittas epistulam ad totum Gregem LL (vide supra). Vale

d.21. m.Mart. a.2022, h.16:29

**Leo Thomae sal.pl.**

Plurimas gratias tibi ago, care Thoma, pro responsione tua. Libenter faciam id quod mihi suasisti. Novistine Epistulas Leoninas? Medullitus te salutatur Leo Latinus

---

**THOMAS IHNKEN**

d.22. m.Mart. a.2022 h.14:18

**Thomas Leoni sal. pl. d.**

Gratias ago pro responso amabili! Noverimne ego Epistulas Leoninas, requiris. Quid respondeam? Num quis est cultor Vivae Latinitatis qui nesciat Leonem Latinum et eius praeclaras Epistulas Leoninas? Quarum ego paucas adhuc legi -fateor enim, vellem mihi esset plus otii-, quamquam sunt lectu dignissimae. Saepius eas inspicere in animo habeo. Ut bene valeas, ex corde tibi exopto.


d.22. m.Mart. a.2022 h.15:17

**Leo Thomae sal.pl.**

Valde gaudeo, quod iam noveris Epistulas Leoninas. Mox edetur EL 256, quam, ni quid obstiterit, libenter tibi mittam. Dicas mihi quaeso, quod officium geras, et quomodo Latinam linguam didiceris. Vale semper, medullitus te salutat Leo Latinus

## **ECHUS VOCES ET EPISTULAS**

**COLLEGIT**



**LEO LATINUS**



## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandataelae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRETIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA– Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE –Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	<b>MEMENTO MORI</b>	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404A	978-3-938905-17-3	<b>MEMENTO MORI –</b> Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	<b>DE CRAMBAMBULO</b>	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	<b>DE DINOSAURIS</b>	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	<b>SUDATORIUM VENERIS</b>	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	<b>PERICULUM FRANCISCI</b>	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	<b>NUPTIAE ABDERITANAE</b>	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00

13	01004	978-3-938905-09-8	<b>TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN</b>	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50
14	01104	978-3-938905-10-4	<b>DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO</b>	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	<b>FABELLAE GRIMMIANAE 1</b>	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	<b>ROMULUS MAGNUS</b>	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	<b>DE THILO CUSTODE FERRIVIAE</b>	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	<b>HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)</b>	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	<b>WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT</b>	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050 5A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060 5A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070 5A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	<b>AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE</b>	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	<b>DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIUM</b>	Karl Friedrich Kilmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	0030 6A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90


26	0040 6A	978-3- 938905- 25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 –  <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	0050 6A	978-3- 938905- 26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 –  <b>Libri audibiles</b>	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	<b>ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS</b>	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	0020 7A	978-3- 938905-28- 9	<b>OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA</b>	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	<b>FABELLAE GRIMMIANAE II</b>	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**



**HANC EPISTULAM LEONINAM  
DUCENTESIMAM QUINQUAGESIMAM SEXTAM**



**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**

**Die Saturni  
26. m.Mart. a.2022**



**Dr. Nicolaus Groß  
LEO LATINUS  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**